DEC. I
lib. 1-4
V
B. J
C
Mag. St. Dr.
393543 III

[illegible]

50f 3

132/4

LIBER II.
DECADIS I.
MISCELLANEORUM HISTORICORUM REGNI BOHEMIÆ,
POPULARIS;

QVI

DE BOHEMIÆ POPULO, ET VETERIBUS AC NOVIS INCOLIS,

solidè & nervosè, sed in summa brevitate disputat:

DE

[B]OIIS, HERMUNDURIS, MARCOMANNIS ET CZECHIS;

Qvando & unde in has oras Czechus & Lechus Fratres advenerint;

TUM

DE WANDALIS, ADVERSUS SCRIPTOREM NOVITIUM, Bohemos Czechos, à Wandalis ortos affirmantem;

Multa in Historijs peccata refelluntur, Controversa diligenter examinantur, & qvid tenendum in ijs videatur,

Authoritate & Fide probatissimorum Scriptorum statuitur.

AUTHORE

BOHUSLAO BALBINO, è SOCIETATE JESU,

Adjecta est in fine Libri, Tractatio de Origine Czechorum, à pererudito Societatis nostræ Viro conscripta.

PRAGÆ: Typis Georgij Czernoch,

cIↃ. IↃc. LXXX.

Si qva eſt ullius gentis, aut ævi Hiſtoria, quæ cum admiratione obſervari, & ad poſteritatem cum cura conſervari mereatur, ea eſt profectò Gentis illius Slavicæ, quæ à Bojorum ſede antiquâ (Bojohæmo) occupatâ nomen ſumſit, &c. *Marquard. Freherus. Præfat. in editos abs ſe antiqvos rer. Bohemicar. Scriptores ad Chriſtoph: Radzivilium Ducem BirZarum, & S. R. Imperij Principem.*

Turpe eſt, Peregrinum eſſe in Patria; dicere ſolebat Chriſtophorus Beſoldus Juriſconſultus, & Politicus Clariſſimus; ut habet *Franciſcus Liber Baro de Sprinzenſtein in Facie Imperij Romani antiqva. præfat. ad Auguſtiſſ. Cæſarem Ferdinandum III.*

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

CAPUT I.

Unde Bohemiæ nomen? habitatam & notam fuisse antiqvissimis hominibus Bohemiam. Boij Galliæ Populus in has oras advenit; eorum quædam illustria facinora. Boij in Bavariam recedunt. De Tolistoboijs. An Tacitus nomine Hermundurorum Bojos vel Bojohemos intellexerit? quædam errata Novi Scriptoris.

Bohemiæ nomen Germanicum.

BOhemiæ vel *Bojemiæ* nomen consensu Scriptorum omnium, à *Boys* natum est, *Galliæ Celticæ* populis, sed tum ut *Gallia* tota (præter *Romanorum Colonias* diu pòst deductas) Teutonico veteri sermone utentibus; locupletes ejus rei habemus Authores quàm plurimos, adversus *Gallos* pauculos (*Bodinum* præcipuè) qui suæ gentis amore & studio, neque se è *Germania* venisse meminerunt, nomen suum, ut alia documenta prætercam, & primam *Franciam*, & *Francorum* nomen (*Franck* enim hodiéque liberum hominem significat) & *Magnum Carolum* in Germanorum lingva natum, & educatum ignorantes. *Bojohemia*, & *Bojohemum* (ut Veteribus placuit) & *Bohemia* idem sonat; *Boÿheim* enim est *Patria Bojorum*. Unde verò ipsum *Boÿ* nomen natum sit multis disputat *Adlzreitter*, aut is, qui sub illius nomine *Historiam Bojorum* vulgavit. Habitatam fuisse *Bohemiam* à quocunq; populo, sub alio licet nomine, ut reliquam *Germaniam*, primis illis â diluvio sæculis, etsi primâ fronte audax assertio videatur, mihi dubium non est: nam si primæ profectiones hominum spectentur, & terrâ, & pedibus, non mari itinera suscepta sint (quod cuiq; credere pronius est, quàm tentasse ratibus ignota, & periculosa maria) ex *Asia & Armenia* proficiscentibus (priùs certè, quàm aut *Gallia*, aut *Hispania*) *Germania*, ejusque limen *Bohemia* ab ea parte occurrent; congruenter sententiæ nostræ immortalis ingenij & doctrinæ Vir *Athanasius Kircherus* noster, in edito nuper abs se doctissimo Opere de *Arca Noë* invictè demonstrat: jam in ipsis propè mundi post diluvium renascentis cunabulis, *Noë filios ac Nepotes*, hanc Europæ Septentrionalis partem (quæ postea *Germania* appellata est) occupâsse, quod Tabulâ *Athanasius* expressit. Quare

[...]ser. in Isa-[...] histor. P. [...]it. [...]oph. Ray-[...]d. in Indi-[...] SS. Lugd. [...] Ennemû-[...] Methodo [...]or. c. 7. [...]man: l. 1. [...] German. [...]egel. Notis [...]comment. [...]eæ Silvij Panorm. n. [...]hman: in [...]ron. Spir. [...]2. c. 45. [...]rinzenst. in [...]cie Imper: p. [...]§. 40. 41. [...]e Carolo M.

Cuspinian. in ejus vita. Brun: in Ducibus Bavar. Wimphelinus tract. Carolus M. Germanus. *Besold. de Success. & Elect. l. 2. dissert. 1. Adelzreit. in hist. Gentis Boicæ p. 1. L. 1. Cuthen. in C. 1. Silvij.*

Bohemia habitata pridem.

Kircherus in Arca Noë.

Tacit. comment. de Germania.

non audiendus est *Tacitus* cùm scribit: *non terrâ olim, sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant*: contrarium enim ex vetustis *Gentium Migrationibus*, quæ plerumq; terrâ & pedibus peractæ sunt, cognoscimus, idq; evidens & perspicuum est, de quo inter Scriptores omnes convenit.

Wolf. Lazius in ll. de Migrat. Gentiũ.

Inhabitata igitur primis illis temporibus *Bohemia* fuit, sed incolas qui intraverint primos, raros adhuc in tam vasto orbe Antiquitas, ut breviter dicam, oblivione sepelivit; *Germanos* tamen fuisse, ideóq; *Bojos* postea ad cognatam gentē ex *Gallia* in has oras venisse *Vohburgius* (nescio an satis probabiliter) conatur ostendere.

Vohburg. in hist. Romano-Germ. fol. 21.

Adelzr. P. 1. lib. 4.

Illud certum: *Bojemiam*, aut *Bohemiam* antiquissimis Scriptoribus sub *Hercyniæ*, aut etiam *Orciniæ* nomine, *Eratostheni* præsertim, ac *Græcis* cæteris notam fuisse, ut Vir clarissimus *Velserus* demonstrat.

Velser. l. 2. rer. Boic.

Cæsar. l. 6. de bello Gallico.

Magnitudine ingenti & vastitate celebrabatur id temporis silva *Hercynia*, authórque est *Cæsar* tantò pòst: *ejus latitudinem 9. dies patere, longitudinem incompertam esse, & ad 60. dierum iter processisse quosdam, nec tamen ad Hercyniæ exitum pervenire potuisse*, ingenuéque ex historiæ ipsius Genio magnus Author *Polybius* scripsit: à *Narbona*, versam in *septentriones* mundi partem inexploratam ætati suæ fuisse, & quæ de ijs memorantur, somniorum instar habere; ausim etiam *Tacitum de Germania* postea scribentem, huc trahere, qui etsi plurima, non omnia tamen compertissima adfert, & jam sunt, qui lapsum esse demonstrent.

Septentrionalis Europæ incerta est historia.

Polyb. l. 1. hist.

Velser. in Boicis l. 1. Cromer: hist. Pol. l. 1. Adelzr. P. 1. L. 1.

Primi (quos nominare possimus) in *Bohemiam* raram cultoribus, *Boij* ante natum Christum annis præterpropter sexcentis ab Urbe Condita 150. *Sigoveso* (qui *Ambigati Celtarum Regis* ex sorore Nepos fuerit) Duce, ex *Gallia Celtica* advenêre; causam & occasionem alibi narravi; quid egerint, quæ bella gesserint, æquè ignotum est, præter paucissima, quæ *Adelzreitter* & ante eum *Brunnerus* noster commemorant; in loco aperto, non tam ad fontes *Albis* (ut *Velserus* voluit: id enim *Hermunduris* servatum est, ut ex *Tacito* constat, & tantæ atque in tantam amplitudinem provectæ genti ora illa undecim fontium nimis quàm angusta fuisset) quàm inde ab ejus fluminis principijs, & primis per *Bohemiam* decursibus, per universam occidentalem *Bohemiam* diffusi, creduntur habitasse.

Boij ingrediuntur Hercyniã.

In Epit: histor. Liv. l. 5. hist. Brunn. in Annal. Bojor. l. 1. n. 1.

Brun. l. 1. n. 12.

Vohb. Tom. f. 385.

Vohburgius Bojemiam veterem sic habitatam existimat: ut Orientalia, & Septentrionalia Bohemiæ, *Hermunduri*; Occidentalia *Narisci*; Meridionalia *Marcomanni* sint complexi. Cur Vohburgius *Bojos* hîc omiserit, paulò pòst in fine hujus capitis Lectores intelligent.

Bojorum Boh. tria facinora illustria,

Tria verò in tanto historicorum silentio illustria *Bojorum*, qui in hac Patria, nunc nostra, consederant, facinora possunt adferri: *primum* (quod multâ authoritate Scriptorum confirmant *Brunnerus & Adlsreitter*) audaciorem, & ferociorem ex *Boijs Hercyniensibus* sobolem (quos Antiqui *Tolistobojos* appellarunt) unà cum *Trocmis* ac *Tectosagis* è *Bojohemo* exisse, & *Pannoniâ* primùm, deinde *Thraciâ*, *Græciâ*, (post Annum urbis conditæ 471. ante Christum natum 280) percursis & pervastatis, *Asiam* ingressos, denique in *Æolide & Jonia*, plurimis factis & acceptis cladibus consedisse, ibidémque *Gallogræcorum*, ut dicebantur, gentes fundasse.

Brunner. l. Adlzr. in Annal. Boj. Lib. 1.

Circa A. 575.

De Tolistoboijs.

Omnia *Tolistobojorum* itinera, clades, victorias, tum Regiones, Urbes, fines, Regum ex ordine nomina, aliáque his similia, postea gentis universæ excidium, verbo: omnem eorum historiam brevissimè ex probatissimis Authoribus excerpsit, & unum in locum conjecit antè laudatus *Brunnerus* & post eum *Adlsreitterus*; ego hæc, quòd parum ad *Czechicam Bohemorum* gentem pertineant nè otio abutar, omitto; quæ tamen si tractare vellem ex causa: (quòd à vetustis *Boijs*, & ex nostra *Bohemia* profectis gesta sint) multis enimverò

Adlzr. P. 3. & 4.

Capiti-

Capitibus historiam hanc meam redderem auctiorem. At ego naturâ & institutione procul absum ab eorum Genio, qui semel ab alijs bene tractata, suis licet verbis, exscribunt, & priorum Scriptorum libros quodammodo abolere conantur, ijs neque nominatis, per quos profecerint; quod facinus *plagij* persimile est, & *quale foret* (ut ait S. Synesius) *sepulchra Majorum effodere.*

Alterum de Boijs ex *Posidonio* (*Marij & Ciceronis* coævo) tradidère Scriptores: *Cimbros*, gentem Romanis formidatam (ad trecenta pugnatorum millia) antè, quàm *Romanos* aggredi statuissent, *Hercyniam* silvam, sedésque in ea *Bojorum* ad habitandum intrâsse, sed rejectos fortiter, alias quæsijsse terras; ergo quos *Romani* nonnisi serò, multis priùs affecti cladibus, vicerant, *Boij* nostri, ut ita dicam, prævicère.

Tertium non minùs insigne ad gloriam: *Heduis*, vel *Æduis* adversus Jul. Cæsarem auxilio venisse *Bojos* (tanto intervallo terrarum!) ex qua gente deinde *Borbonij* sint orti, quod historicos Galliæ habere, ait *Velserus*: *ut*, inquit, *Regium totius Galliæ decus in Boijs, seu Borbonijs regulis, hodiéque resideat.* Eadem habet nobilissimus Scriptor *Brunnerus*.

Porrò *Bojos* nostros ex *Bohemia*, *Bojoarijs*, *seu Bajoarijs*, *Bavaris* (aut quocunque alio nomine appelles) originem dedisse, eósque coloniam quandam esse veterum *Bojohemorum*, aut ipsos potiùs *Bohemos veteres* nimis quàm certum existimamus; docent id disertè accuratissimus Boicæ Antiquitatis examinator *Velserus*, *Brunnerus*, *Adelzreutter*, tum *Philippus Cluverius* consignato etiam tempore, quo migratio illa acciderit: *Bojorum ex Bojohæmo sub Augusto Cæsare in Vindeliciam commigrationem hactenus asseruisse sufficiat.* (probavit hoc multis antea) *Nomen eorum postea in Vindelicia variè ab inferioris sæculi Scriptoribus formatum fuit, quibus passim dicuntur Bojoarij, Bojovarij, Bajoarij, Baibarij, Baivarij, & postremùm Bavari; ex quo quibusdam nugandi occasio arrepta, nomen hoc ex Boijs & Avaribus esse compositum.* Hæc *Cluverius*, tacito nomine *Bonfinium & Aventinum*, ut existimo, sugillans, qui *Bavarorum* nomen sic explicant. Hæc *Bavaris* omnibus (qui se *Bojos* & Patriam suam *Bojoariam* appellant) certa & indubitata hactenus fuerunt; ad *Bojos* in *Bohemiam* redeo.

Bonfin. Decad. I. lib. 8. Aventin l. 1. Annal. Boi.

Cætera igitur *Bojorum* veterum illustria facta, latent ac semper latebunt; quid enim sine præsidio literarum vivere, ac perennare potest? quibus cùm caruerint, neque nisi arma tractaverint, procul à Græcis & Latinis, quibus tum solis cura fuit posteritati scribere, positi, nihil mirum est è memoria viventium, quæ in *Bohemia* gesserant, perijsse, *Bojósq; à Marcomannis* regione depulsos, nihil nisi inane *Bojemiæ* nomen post se reliquisse.

Bojorum in Bohemia historia muta & cur.

Obiter hoc loco novus evellendus est error ejus Scriptoris, qui *Svevos* cum *Hermunduris* nuper confudit: *Svevi*, inquit, *Germani (apud nos Hermanduri dicti) per Bojos gentem Gallogermanicam ex Bohemia sunt ejecti*; asserit hic Scriptor, ut apparet, primos *Bohemiæ* cultores ante ipsos *Bojos Svevos* fuisse; reliqua compendio, velut oracula solemus, exscribam: *Svevi, & Gothi primâ origine idem est populus; Svevi è Gothia in has Bohemiæ oras erupère. Tacitus pro Bohemis semper usurpat vocem Hermandurorum.* Pergit deinde enumerare *Svevorum* in Bohemia populos, tantâ audaciâ, & securitate, ut etiam diversis *Svevorum* populis diversos *Bohemiæ* Districtus assignârit, limitésque singulis præscripserit, quàm longè, quàm latè habitârint Svevi, nullius Scriptoris authoritate adductâ. Mirabar, cùm primùm videre librum contigit, tam procul fiduciam evasisse! Inprimis *Hermanduros* nemo ante ipsum appellavit; Veteres

Novi Scriptoris nova asserta.

Hermunduri, non Hermanduri dicendum.

res juxta ac novi Scriptores omnes *Hermunduros* perpetuò appellant; deinde *Svevi* apud ipsum, *Hermunduri* esse non possunt, cùm Svevis ejectis è Bohemia, *Hermunduri* manserint, ut ipse postea sui immemor docet, & mille Scriptorum locis, ac nominatim *Taciti & Velleij* authoritate constet: eorum ætate *Hermunduros ad fontes Albis* sedisse. Et quamvis sub *Svevis* tanquam primariâ gente, omnes olim *Germanos* comprehensos, egregij quidam Scriptores (ut *Tacitus & Strabo* de Marcomannis agentes) docuerint, atque etiam à *Svevis Hermunduri* sint orti, tamen cùm gentes semel sese divisêre nominibus, non continuò quod de *Svevis* dicitur, solis *Hermunduris* imputatur. Optimè distinxit *Plinius*: *quartum* (inquit) *Germanorum genus Hermiones, quorum Svevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci.*

Plin. l. 4. hist. nat. C. 14.

Boij & Hermunduri diversa gens.

Svevos è *Gothia* venisse, nec probo, nec improbo, sed non parvam, quod dicitur, continet difficultatem; authorem tamen idoneum vel unum mihi produci cuperem, qui istud, & aliud (quod *Svevi è Gothia in Bohemiam* primi adrepserint) affirmet. *Tacitum* pro *Bojohemis Hermundurorum* nomen semper usurpare, id verò tam est ridiculum, ut omni sponsione certare velim, quisquis hæc scripsit, *Tacitum* non legisse; vel duo testimonia ex Tacito adduxisse suffecerit: *inter Hercyniam silvam*, inquit, *Rhenúmq́; ac Manum Helvetij, ulteriora* (ad nos scilicet) *Boij, Gallica utraque gens tenuêre*) notet Lector, vocem *tenuêre*, non tenent) pergit Tacitus: *manet adhuc Bojohemi nomen* (Vellejus Bojohæmum appellat) *significátq́; loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.* Cultores *novos* hoc loco *Tacitus Marcomannos* intelligit; ij enim, etsi ex gente *Boica* orti non fuerint, sed è *Svevica* (ut postea dicam) in *Bojohemiam à Maroboduo* sunt translati, mutatísq; cultoribus, *Bojemia* tamen, vetus nomen retinuit. At de *Hermunduris* idem *Tacitus: in Hermunduris* ait, *Albis oritur flumen inclytum.* Brevì post scribit, *pulsos esse virtute Marcomannorum Bojos, mansisse Hermunduros,* qui postea Duce *VibilioCatavaldam* ex Gotonibus ortum profligavêre. ergo amittunt veteres suas sedes *Boij*, *Hermunduri* suas retinent; non igitur *Hermundurorum* nomine *Boij*, aut *Bojohemi* (nam *Bohemorum* vocabulo nunquam *Tacitus* utitur) intelligi possunt, nisi omnia permisceantur: nam si ijdem *Svevi* origine *Gothi* sunt, & rursus *Svevi Hermunduri*, *Hermunduri* verò *Boij & Bojohemi*, *Bohemi* verò *Vandali*, necesse est omnes has gentes eundem populum fuisse, quod nemo unquam concesserit. Videat *Lector* hunc novum Scriptorem suo se gladio confodere; ita nimirum solet accidere, cùm legitimis, & authenticis Veterum testimonijs neglectis, aut omnino non lectis, Historiam poëtico more architectamur, & ab authoritate deserti, conjecturas pro historijs obtrudimus. Ad extremum scire oportet *Vohburgium* in *Idea historiæ suæ Vohburgicæ* (initio) multis demonstrare conari: *Bojos à Maroboduo* pulsos *Bohemiâ* non esse, contrà quàm *Tacitus*, aliíque veteres ac novi Scriptores tradiderint, sed ultro & longè priùs quàm *Maroboduus* advenerit, non apud *Nariscos*, sed ad *Danubium* sedes fixisse, ideoque tacito nomine *Brunnerum* nostrum conari refellere; Porrò *Bojos* cùm ad *Danubium* sederent à *Germanis & Dacis* pro hostibus habitos, excisos & consumtos adeò fuisse, ut gente universâ deletâ, ager pascendo pecori attributus, nihil præter veterum Incolarum nomen retinuit, *Bojorum deserta* dictus, ut est apud *Strabonem*. hæc *Vohburgius*. Ego regiam viam sequor, & violentas Scriptorum veterũ detorsiones, ut novi aliquid adferamus factas, amare nõ possũ; ipsa claritas, & minimè obscura veterũ authoritas, quid tenere nos oporteat, docet; de hac depulsione agemus in sequentibꝰ.

Tacit. Comme. de Germania.

Vellei. l. 2. histor.

Tac. l. 2. Annal.

Vohburg. à C. 181. & Tom. 1. f. 4.

CA-

CAPUT II.

Maroboduus Bojohemiam invadit, & occupat. Marcomanni gens Svevica. De Regia Marobodui in Bohemia. Marcomanni in Bohemia habitarunt. Paprocij Errores Chronologici.

BOijs in *Bojohemo* suo pacatè, jam annos propè sexcentos degentibus, improvisus hostis, aut hospes parum gratus *Maroboduus* exoritur. Erat hic *Marcomannorum Rex*, ex vetusta *Sveviæ* nobilitate ortus, ipsi *Marcomanni Germani, & pars Svevorum*, ut clarè Annalem secundum *Taciti* legentibus patet, cùm is *Marobodui, & Arminij* bellum descripturus, ait: *Svevos externo metu vacuos in se arma vertisse*, rectéque *Lipsius* ad hoc bellum in *Tacito* adjecit in margine: *Germani inter se discordes.* vide Cap: IV. hujusce Libri, in quo Capite *Marcomannos Svevorum populum* fuisse probabo. *Maroboduus* ergo *Romæ* sub *Augusto* educatus, domúmque ad suos reversus, cùm Romanorum propinqua arma timeret, seséque mox ab ijs petendum videret, statuit (ut *Vellejus* loquitur) *procul à Romanis avocare gentem suam.* Habitasse verò *Marcomannos* inter *Danubium & Dravum* disertissimè affirmat in Epitome sua *Rufus*: *Marobodus vim regiam animo complexus, raptos populares suos in saltuosa Hercyniæ loca duxit, Boiisque oppressis, finitimos omnes, aut bello domuit, aut conditionibus sui juris fecit.* Ex hoc loco *Velleij* colligunt *Welserus & Adlzreitter*, *Bojos* non regione, sed regno tantùm & dominatu pulsos in unam propè gentem cum *Marcomannis* coaluisse, quosdam verò novæ dominationis odio profugos, *Bavariam* fundasse; mihi *Brunneri* nostri rerum *Boicarum* peritissimi Scriptoris sententia placet: qui *Boios à Maroboduo* exactos in *Nariscis* consedisse (quæ fuit *sexta Bojorum migratio*) ac diu pòst (Anno Christi 508. videlicet) in *Vindeliciam & Noricum septimâ Transmigratione Theodone Agilofingo Duce* transisse, & *Bajoariorum* seu *Bavarorum* (quas hodiéque incolunt) sedes designasse probabilissimis argumentis demonstrat. Potuêre tamen Bojorum aliqui à *Maroboduo* illecti in *Bohemia* remanere: atque hæc caussa fortassis fuerit: cur *Maroboduus* novam sibi regiam in *Hercynia* silva extruens, ut antiquæ *Bojorum* genti aliquid deferre videretur, popularis favoris captandi gratiâ, *Bojasmum*, aut ut legit Lipsius, *Boyhemium*, Regiam illam nuncupârit, *Cuthenus Baubinum* appellat.

Marobodui Regia.

Cuth. in C. 1. Silvij citato Strabone.

Goldast. l. 1. de Bohemia Iurib. C. 30.

Goldastus cùm malè legi putet *Bubienum*, *Bojohemum* supponit, *Pragámq; Bojohemum* appellat. Res mira! *in Praga* (juxta Goldastum) *est Bohemia aut Bojohemum*; hysteron proteron! *Bojohemum* ut ex *Ptolemæo & Velleio*, aliisque Scriptoribus patet, regionis, & Provinciæ, non Urbis nomen fuit; at *Praga* fortasse eadem *Marobodum*, quæ *Marobodui* regia apud *Ptolemæum*. audiatur *Aventinus*: *Maroboduus Rex Bubienum, Caput Bojemiæ, Marobodum à se agnominavit, quam nunc Pragam dicimus;* idem habet *Spanbergius*. Regiam *Marobodui* Urbem in altissimo monte è regione *Cœnobij Zbraslaviensis* stetisse, quo in loco postea *Cassin Castrum* conditum sit, *Hagecius & Weleslavinus* affirmant.

Cluver. l. 3. Germ. anti. C. 30.

Aventin. l. 2. Annal. Bojor.

Spanberg. in Chron. Saxon. C. 34.

Welesl. præfat. in Silv. Cuthe.

Paucis annis pòst (Anno à Virginis partu XIX. circiter) *Maroboduus ab Arminio* cæsus est, quod prælium latè

Tacit. l. 2. Annal.

Tacitus deſcribit; quæ verò pòſt ſecuta ſunt, ſtultúmque *Marobodui* conſilium ad Romanos *Catavaldæ* timore, confugientis, tum *Ravennæ* detentionem, narravit *Svetonius*. Ex quibus ſatis colligitur (quod alibi diximus, probántque *Dreſſerus & Goldaſtus*) *Marcomannorum Regnum* eo tempore *Bohemiam* complexum eſſe, ac proinde, quæ de *Marcomannis* úſquè ad *Czechum* memorantur, ad eos *Marcomannos*, qui *Bohemiam* incolebant, non ad ſolos *Moravos*, ut hodie imperiti exiſtimant, pertinere. Eadem de *Marcomannis in Bojemia* longè etiam ante *Marobodui* tempora habitantibus, omnibus hiſtoriæ ſuæ locis inculcat & probat eruditus ætate noſtrâ Scriptor *Vohburgius*, docétque *Bohemiam* totam inter *Hermunduros & Marcomannos* quodammodo diviſam fuiſſe, ex quibus *Hermunduri* ad fontes *Albis* ſederint, ſic, ut *Cattos* ab occidente, *Romanos* & Danubium à meridie, *Nariſcos & Marcomannos* ab Oriente, *Semnones & Longobardos* à Septentrione habuerint; *Marcomannos* verò reliquam *Bohemiam* poſſediſſe, & per hodiernam *Auſtriam* uſquè ad *Danubium* porrectos fuiſſe; *Quados* his inferiores, & ipſos uſq; ad Danubium ſed proximos *Daciæ* adhæſiſſe, & Regnum *Vannianum* comprehendiſſe. *Goldaſtus* (quanquam alioqui ſubleſtæ fidei Scriptor, ſed ubi aliorum authoritate nititur, non omnino aſpernandus) de *Marcomannis* ex Authorum veterum fide hæc habet: *Marcomanni Sueviæ gens* (audíſne *Suevos*, non *Slavos* nominari?) *ab Arioviſto ex oris Saxonicis evocati, à Julio Cæſare cæſi, in Styriam inferiorem ceſſerunt, quæ Valeria dicta;* (hæc unde Goldaſtus acceperit, neſcio) *inde abeuntes* Bojos *bello aggreſſi, Quadis ſocijs in Moravia relictis, Bojohemi principia occuparunt. Quibus deinde auxilio venit Marobodus ex eadem gente, &* Bojos *in Noricum expulit; imperabat Marobodus* Bohemiæ, *Luſatiæ, Sileſiæ, Poloniæ, Marchiæ, Pomeraniæ, Litvaniæ,* Boruſſiæ, *Croatiæ, Dalmatiæ, Stiriæ, utrique Saxoniæ, Holſatiæ, &c.* (tot Regionibus imperaſſe *Marobodum* difficile eſt credere, neque tum nata & nota erant hæc Regionum nomina, niſi ad prolepſin hiſtoricam confugiamus) *Bohemiam tamen elegit, tum Marcomanniam à novis Incolis ſic vocatam, & ſedem Regiam jam antè in media Germania collocatam, ibidem quoque fixit.* Idem ex *Velleio Paterculo* intelligi poteſt, qui apertiſſimè ſcribit; *Marcomannos Hercyniâ ſilvâ incingi*; ſed altiſſimum hoc loco cachinnum meretur *Paprocius*, qui ut *Regum Moravorum* numerum auctiorem, & antiquitate venerabilem ſibi redderet, *Arminium* primum *Marcomannorum* Regem, poſt eum *Marobodum*, tum *Trudum*, pòſt *Arioviſtum* (cum quo videlicet *Cæſar* bella geſſit in Gallia) ac tandem *Svvatoplucum Reges Marcomanniæ* facit, quē ipſa Chronologia & temporum ratio Sole clarius refellit: nam *Arioviſtus* (ut hoc unū opponam, cùm cætera omnia æquè falſa ſint) *Julio Cæſari* negotium fecit, *Marobodus*, qui ante *Arioviſtum* regnâſſe ponitur, ſub *Tiberio* Ravennæ delituit; igitur, juxta *Paprocium Tiberius* Imperator *Julio Cæſare* Imperij Romani fundatore fuit antiquior; *ridete quidquid eſt domi cachinnorum!* diceret *Catullus*.

Sveton. in Tiberio C. 37.
Dreſſer. in Iſagoge hiſtor. p. 5. init.
Goldaſt. l. 1. de Boh.
Vohburg. ad A. C. 98. Tomo 1.
Marcomanni in Bohē:
Goldaſt: l. 1. de Boh: C. 5.
Vellei: l. 2. h[...]
Paproc: in [...] *culo Mora*[...]
Paproc: hiſtoriſi[...]

Porrò ut aliquam *Marcomannicæ* gentis (quæ in *Bohemiæ* noſtræ regione vixit) notitiam *Lectori* demus, referemus breviter quædam *Marcomannorum* geſta per indicem, uſq; ad *Czechi Ducis* noſtri adventum, *Weleſlavino & Welſero* Viro Clariſſimo potiſſimùm, ex optimis quibúſque Romanorum ejus ætatis Scriptoribus, velut accenſam facem præferentibus. Qui plura de *Marcomannis* noſſe cupit, legat *Adelzreitterum*, ac præcipuè *Vohburgium* latiſſimè hæc bella tractantes, ex quibus cæteri deſcripſerunt.

Weleſl: [...] *ſer: locis*
Brunne[...] *Boicisl.* [...] *Adelzre*[...] *hiſt. Bo*[...] *Vohbur*[...] *hiſt: Ro*[...] *german*[...]

CA-

CAPUT III.

Marcomannorum præcipua gesta post Marobodui fugam ad Romanos. Marcomanni cælitùs victi Christianis orantibus. Marcomannorum pars in Italiam translata. Novæ eorum sedes. Jterum adversus Romanos rem gerunt. Marcomanni Christiani. Reliquiæ Marcomannorum per Attilæ Regnum abolentur.

Marcomannorum Princeps pulsi.

MAroboduus igitur desertus à suis (ùt paulò antè dicebam) ab *Arminio Cheruscorum* Principe inter Annum Christi 12. & 19. victus est; at neque *Arminius* diu regnavit, sed ob Tyrannidem affectatam à suis occisus. Arminij cæde respirabat paulùm *Maroboduus*, cùm novus hostis *Catvalda* exoritur, *qui validâ manu* Bojohe*miam ingressus, corruptis Marcomannorum Primoribus, regiam Marobodui, Castellúmq; juxta situm irrupit;* hæc *Tacitus. Unde Maroboduus* ad *Romanos* confugit, & *Ravennæ* consenuit. In *Catvaldam* insurrexit *Jubillius*, qui pulsus, ad *Romanos* quoque confugit, & in *foro Julij* desertus & contemtus consedit. *Jubillius* apud *Marcomannos* usque ad An. C. 52. circiter imperavit. Qui *Jubillio Reges* successerint, non constat: *Vannius*, ejúsque Nepotes, *Vannio* & *Sido* à *Tiberio* & *Claudio Imperatoribus* impositi in *Marcomannia* regnarunt. Post hæc *Domitianus Imperator* circa An. C. 83. *Marcomannos* bello aggreditur, ut habet *Dio Cassius*. *Trajanus* quoque ex hac gente laurum quæsivit, *Marcomannósq; & Quados* debellavit, ut *Volaterranus* commemorat; sed famâ potiùs, quàm cæde debellatum oportuit, cùm paulò pòst *Populo Romano* negotium facessere potuerint.

Velser: in Boicis.

An. C. 168. *Marcomanni ex Bohemia & Moravia* exeuntes, *Vindicem* cum exercitu Romano profligant.

Brun: l. 3. annal: Boic:

An. C. 171. *Marcomanni* quorum adhuc natio à ripa *Danubij* per Bojohe*mum* fusa in his oris regnabat, iterum adversus *Romanos* insurgunt. Imperator *Antoninus* de Imperio anxius Mago cuidam *Alexandro* temere fidem habuit, pollicenti: si *geminos Leones Danubio* flumini cum certis ritibus immitteret, sine dubio victorem de *Marcomannis* futurum. Factum ut imperârat; at *Marcomanni*, Leones nunquam antè visos, lupos aut canes rati, cùm ad eos adnatassent, falcibus contudère; secutum prælium, quo 20. Romanorum millia sunt peremta. Quinquennio pòst renovatum bellum, & memorabilis è cælo Victoria à Christianis in Romano Exercitu militantibus, de *Marcomannis* & maximè *Quadis*, qui postremi restiterant (utraque Germanicâ gente) reportata, fulminibus verberati sunt; unde Legioni Christianæ datum nomen Κεραυνοβόλε, id est *fulminatricis*. Hoc illud est prælium quod Christianæ Religioni apud Romanos authoritatem maximam conciliavit, & *Christum Dominum, Deumq; nostrũ* colendi attulit libertatem; supervacaneum est describere omnibus Scriptoribus nota. Legatur Baronius; id unum observare convenit: hoc prælium non apud *Marcomannos*, ut scripsère quidam, sed apud Quados (*in Quadorum finibus* ait *Europius*) gestum esse. Hujus Victoriæ monimentum adhuc *Romæ* superest columna Antoniniana cochleæ instar, artis & operis admirandi, quam in sua *Roma Jacobus Laurus* expressit. Transtulit post victoriam idem Imperator

Oros: l. 7. c. 15

Lucian: in Pseudomante.

Marcomannos vincunt ope divinâ Christiani.

Tertul: in Apologet: C. 5. & ad Scapulam C. 4.

Baron: in Annal: Eccles:

Eutrop: in Epitom: Henel: in Silesiogr: C. 1. Dio Cassius in hist: Capitolinus, &c.

Marcomanni imminuuntur à Romanis.

Zoſimus lib: 1: Weleſ: præf: in Silviũ. Cuthe: Epitome Trebellij. Victor &c.

rator *Antoninus* plurimos *Marcomannorum* in Italiam, ac deinde iterum, cùm *Marcomannis Hermunduri, Sarmatæ & Quadi* arma ſociaſſent, triennali bello, tantis eos cladibus concîdit ac fregit, ut jam nulla apud *Marcomannos* juventus armis ferendis idonea, neque victus ex agris, quos perpetuæ populationes *Romanorum* vaſtârant, ſuppeteret; ac debellari ſine dubio potuiſſet, niſi *Antonini* mors interceſſiſſet, & *Commodum* filium ad conficiendas belli reliquias voluptates domeſticæ tenuiſſent. Spatium inter hæc *Marcomannis & Quadis* reparandi damna conceſſum, ſatîſque jam firmatis rebus, iterum Romanos aggreſſi *Italiam & Græciam* ipſam tenuêre, ut narrat *Zoſimus*; de his rebus conſulatur *Vohburgius*.

Weleſ: loc: cit: Vohburg: Tomo 1.

Namprid: in Heliogab:

Anno Chriſti 222. *Heliogabalus* Bellum cum Marcomannis moliens, falſo oraculo à bello revocatus eſt.

Herodian: & Lamprid:

Anno C. 235. *Alexander Severus* bellum *Marcomannis* illaturus erat, fatum obſtitit.

Zoſimus. Eutropius,

Anno C. 252. *Marcomanni* cum *Quadis & Sarmatis* in *Imperium Romanum* incurrunt, atque etiam *Pannonias* occupant.

Iidem.

A. C. 262. *Attalus* apud *Marcomannos* regnabat, cujus filiam *Saloniam Piparam*, cùm *Gallienus* Imperator in Conjugem accepiſſet, & *Auguſtam* appellaſſet, *Pannoniam ſuperiorem*, Attalo pactione conceſſit.

Vopiſcus in Aureliano. Eutrop: & alij.

A. C. 271. ſub *Aureliano Marcomanni* in Italiam irruunt, & victores primùm, deinde ter vincuntur. Sub *Diocletiano* A. 284. cæſi iterum repelluntur.

Sext: Aurel: Victor: C. 34.

A. C. 304. *Marcomanni & Quadi Diocletiani* Imperatoris (qui ſe Imperio eo anno abdicavit) auſpicijs, victi & triumphati ſunt. *Carpi* (*Quadorum* pars & natio) in ſolum Romanum tranſlati.

Ammian: Zoſimus.

A. C. 358. *Marcomanni* cum *Quadis & Sarmatis* Pannoniam incurſantes, à *Conſtantio II.* Imperatore, & *Juliano* Cæſare ſuperantur.

Welſer. pon[...] A. C. 350:

Curæus in A[...]nal: Sileſ: init. Welſerus in[...] icis. Ammian. li[...] 29.

Sub *Valentiniano I. & Valente*, *Marcomanni & Quadi* à Romanis irritati, quòd ultra *Danubium* in *Quadorum* ſolo præſidia excitaſſent, & *Gabinium* Regem ſuum, qui in *Brigotio* (ridiculè *Curæus* ſuſpicatur *Brigam*) A. 364. regnaverat, *Marcellinus Valeriæ* Dux per inſidias trucidaſſet, *Danubio* trajecto, omnia ferro & igni per *Pannoniam, Illyricum, & Iſtriam* depopulati *Aquileiam* obſident, & vix ab ingreſſu Italiæ arceri potuerunt, tandem à Duce *Theodoſio* repulſi. id accidit A. 373. *Welſerus* habet Annum 370. circiter.

Ammia: l.[...] Welſe: l. 2. r[...] Boicar:

Anno Chriſti 376. ſub *Valente, Gratiano, & Valentiniano II.* Imperatoribus, *Marcomanni, & Quadi* receptâ innumerabili multitudine Barbararum gentium (*Goldaſtus* addit de ſuo, *Germanorum & Sarmatarum*) quæ cis Danubium (rurſus *Goldaſtus* addidit: à *Bohemia & Moravia*) ad Pontum uſque Evxinum habitabant, exitium Romano Imperio machinari cœperunt, ut Romanos Urbibus & Regionibus quantum valerent, depellere poſſent.

Paulin: in[...] ta S. Ambro[...] Baron: ad[...] C. 396.

A. C. 396. *Fritigil* vel *Fritigildis* Regina *Marcomannorum* à *D. Ambroſio* per Epiſtolas Chriſtianis Sacris initiata, non modò ſeſe, ſed maritum etiam cæleſti *Chriſti* jugo ſubjecit, gentémq; ſuam *Marcomannorum* conciliatam Romanis addixit ſic, ut poſtea *Marcomanni*, velut ſocij, ac propè una gens inter *Romana* auxilia equo & pedibus mererent, præcipuâ in hanc gentem Imperatoris *Honorij* benevolentiâ, in cujus honorem *Honoriani Marcomanni* in *Notitia Imperij* Occidentalis appellantur. Trajecerant *Marcomanni* jam pridem *Danubium*, & acceptis aliorum exemplo agris, *Romanam* ripam videlicet cis Danubianam, nobis ulteriorem coluêre.

De Marc[o]mañis Cl[ri]ſtianis.

Welſerus quoque Vir Clariſſimus hoſce *Marcomannos* (quorum Regina

Fritig-

Fritigil) non amplius apud nos habitâsse scribit, sed in *Illyrico* (cui tum attributæ erant *Noricum*, *& Pannonia*) ab Imperatore *Honorio* collocatos, in fidem Populi Romani concessisse; atque ita faciliùs ex alterutra Provincia *S. Ambrosium* Archiepiscopum *Marcomanni* consulere potuerunt; certè *Sirmium*, inferioris *Pannoniæ* Civitatem, ad *Archidiœcesin Mediolanensem* aliquando pertinuisse, vel ex eo suspicâri possumus, quòd *Ambrosius* (ut in ejus vita legimus) *Avennium Sirmij* Episcopum initiârit, & consecrârit. Hæc Marcomannorum divisio multum ejus populi potentiam debilitavit. Qui domi manserant *Marcomanni* cum *Quadis*, per hæc tempora, *Regem Hermanricum* vel *Ermanricum* habuêre. Hic *Radagaiso* vel *Radagasto* Venedorum Slavorum Regi (quem pro *DEO Slavi Vinidi* seu *Obotriti & Polabi*, ubi nunc *Mechlburg* est habitantes, postea coluerunt) adversus *Romanos* bellum gerenti militavit, eóque in *Italia* cæso *Alarico Gotho* adhæsit, cum quo in *Hispaniam* penetrans *Regnum* ibi *Svevorum* (nam *Marcomannos & Quados Svevicam* gentem fuisse constat) fundavit, ac postea A. 440. decessit. Notet, obsecro, Lector, ex *Radagasto*, jam eo tempore *Slavos Regnum in Germania* habuisse.

Secuta brevì pòst *Hunnorum*, aliárumque barbararum Gentium ex *Asia* in *Europam* transgressio; quæ ut cæteras omnes Danubianas & Albinas gentes præcipuè, tum *Svevos*, *Bojos*, *Quados*, *Herulos*, sic etiam *Marcomannos*, qui in nostra ripa inter *Bojos* adhuc remanserant, velut tempestas quædam turbinis corripuit. Alij *Marcomannorum*, Militiam Romanam sequebantur, ut dixi, alij nobis propiores *Attilam* adjuvabant, atque ita necesse fuit (Oraculo Christi Servatoris) *Regnum desolari*, quod discordia civilis diviserat. Has omnes gentes, plurésque alias, ut *Hunnos* ipsos præteream, *Attila* circa A. C. 444. in Imperij Romani perniciem eduxit, sed plerosque eorum cladibus & victorijs ipsis confectos, vel attritos amisit in hostico: ut mirum nulli esse debeat, cur *Czechus* in has oras veniens (quamvis ante hæc tempora eum venisse probabiliùs sit, ut brevì dicetur) tantam solitudinem populi invenerit: ibi ipsa veterum Populorum nomina extincta sunt, ut à *Draconibus*, minuti serpentes & colubri devorantur; certè post hæc tempora neque *Marcomannorum* ampliùs, neque *Quadorum*, neque *Hermundurorum* nomen in Scriptoribus, nisi fortassis in Populi prioris memoriam inveneris. *Attilâ* igitur mortuo, cùm ex filijs ejus nemo tot & tam varijs & discordibus ac Militaribus Populis regendis sufficeret, Monarchiâ laceratâ, nova passim *Regna* & *Provinciæ*, ut *Welserus* loquitur, *exoriri cœperunt*, ut *Sarmaticum* seu *Slavicum* apud *Moravos*, *Germanicum* apud *Svevos*, item apud *Bojos* seu *Bavaros*; alibi quoque *Rugiorum*, *Herulorum*, *Hunnorum*; imò adeò *Zechorum* natio (quos hoc nomine disertè appellat *Welserus*) jam eo tempore tenebat *Bohemiam*; quod paulò pòst accuratiùs comprobabo.

Solitudo Bohemiæ in Czechi adventu.

Bonfin: in hist: Ung: Prosper in Chronico. Jornandes de Gothis. de Hunnis. Ammia: l. 31.

Paul: Diac: l. 4. C. 7. Herman: & Sigebert: in Chronico.

CAPUT IV.

Maroboduus Svevus, & Marcomanni Svevica gens fuerunt. Idem asseritur de Quadis. Objectiones solvuntur. Attilæ temporibus plurimæ Gentes extinctæ; ut Quadi.

Marcomanni fuêre Germani, item Quadi &c.

M*Arcomannorum* Populo deleto, & è rerum natura penè amisso, ipsum etiam nomen in hac historia cœpit amitti, cùm ecce *Cynthius* aurem vellit & admonuit: non defore forsitan, imò jam esse, qui *Marcomannos*, & Regem *Maroboduum*, non ut nos scripsimus, *Svevicæ* Gentis, sed *Slavicæ*, *& Marcomannos Slavicam* fuisse gentem affirment, quo nihil esse potest insulsius. *Paprocius* in eorum est numero, tum propè omne *Moravorum* vulgus, qui ob illustria *Marcomannorum* facinora, certatim illud sibi adoptant nomen, id gestiunt, id triumphant, id sibi gloriosum ad omnem memoriam ducunt, *Marcomannorum* appellationem pro virtutis maximæ titulo sumentes; quibus nimirum *Moraviæ & Moravorum* nomen immeritò sordet. Ego contrà nitor, & omni asseveratione affirmo: *Marcomannos*, *Quados*, *Hermunduros*, *Germanicas* Gentes fuisse & nihil ad nos, & ad *Slavicas* gentes pertinere, non secùs atque ad *Czechos* (qui Bohemi nunc vocantur) *Bojorum historia*. Id inprimis omnes, quos unquam legerim Scriptores vetusti & illius ævi, tum quicunque postea historiam fæliciter, & ex authoritate Veterum (non ex conjecturis inutilibus suis) tractarunt, uno ore disertè affirmant. *Strabo* lib. 7. *In hac Germaniæ parte est etiam Hercynius saltus, & gentes Svevorum, quarum aliæ ipsam incolunt silvam, in quibus est & Boviasmum Marobodui regia, &c.* Tacitus l. 2. Annalium, de Maroboduo & Arminio loquens: *Svevi*, inquit, *prætendebantur, qui æmulatione gloriæ &c. arma in se verterant.* Pòst: *è Regno Marobodui Sveviæ gentes Semnones ac Longobardi;* post plurima, eodem Annali: *Catvalda validâ manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisq; primoribus ad Societatem, irrumpit regiam* (Boviasmum in Hercynia silva, ut annotat *Lipsius*, at *Cluverius Pragam & Wissehradum*, postea ita dictas intelligit) *castellúmque juxta situm; veteres illic Svevorum prædæ reperta &c.* rursus: & *Maroboduus quidem Ravennæ habitus, si quando insolescerent Svevi, quasi rediturus in patriam ostentabatur.* Eutropius in historia Romana: *Tiberius Marobodum Svevorum Regem callidè circumvênit &c.* quid hâc sententiâ apertius esse potest? eadem de *Marcomannis* V. Cl. M. *Velserus*, *Philippus Cluverius* cùm Antiquam Germaniam describit, eadem habet *Claudius Ptolemæus*, & qui in eum commentaria edidêre: *Josephus Moletius & Antonius Maginus*, Geographi præstantes; eadem *Cromerus & Goldastus*, *& Curæus & Dalecampius* & recentissimè insignis Scriptor *Vohburgius* affirmant, & ipsa appellatio *Marcomannorum*, quod dicimus, evincit: *Marck* enim Germanis *limitem*, *& Marcomanni* Limitaneos homines significant. *Dresserus* in Isagoge: *Marcomanni* Marckmänner / *quasi custodes limitum versùs Ungariam & Sarmatiam, incolæ Bojemiæ, Moraviæ & Austriæ;* & post pauca: *Marcomanni gens Svevica à Marchia, quâ limes significatur: est enim Moravia una ex quatuor Marchijs Imperij, quæ sunt Misnia, Brandeburgum, Moravia, Badena.* Idem loquens de Quadis: *Quadi Svevi (Germaniæ populi) partem Moraviæ & Silesiæ,*

Paproc. in Speculo Moraviæ init.

Maroboduum decipit Tiberius.

loc: antè ci[...] Crom: l. 2[...] Dalecamp:[...] annot: in Pl[...] C. 14. lit:[...]

Unde Ma[r]comannorum nom[en] natum. *Parte V.*

Marcoma[n]ni gens S[ve]vica.

Dress: P. 4 Isagoges in S[...]via.

ſiæ, ubi nunc eſt Epiſcopatus Niſſenſis (Wratislavienſem dicere voluit) *partem etiam Poloniæ circa Cracoviam tenuerunt;* & in Iſagoge hiſtorica, *Svevorum populi Hermunduri, Nariſci, Marcomanni, Qvadi.* hactenus *Dreſſerus.* Videamus nunc quibus argumentis & quàm futilibus *Marobodum* Slavum & Marcomannos Slavicam gentem nuper quidam Scriptores evincere ſint conati: Si *Marcomanni* inquiunt, *Slavi* non erant, cùm *Czechus* in has oras advênit, quò *Marcomanni* abierunt? facilis reſponſio: primùm ut ſuperiore Capite dixeram, *Marcomanni* multis cladibus attriti, quidam eorum in Italiam translati, ſedes ibi novas acceperunt; quidam in ripam Danubij adverſam ad Romanos tranſitione factâ, Regnum ipſi ſuum ſic extenuarunt, ut ægrè Majeſtatem illam veterem nominis imperiique ſui tuerentur; deinde certum eſt ab *Attila*, cùm ejus arma ſequerentur, cum natione univerſa *Quadorum* (ut egregij Scriptores memorant) abductos in militiam, maximè poſt *Attilæ* mortem, in illo quindecim diebus continuato prælio amiſsâ vitâ & patriâ, ipſóque etiam nomine perijſſe; reliquias verò eorum, partim *Hunnis*, partim *Slavis Moravis*, partim etiam ipſius *Czechi* populo ſeſe addidiſſe, & immixtos in unam gentem coaluiſſe. Eodem fato innumera propè ſub *Attilæ* tempora, populorum nomina ſunt extincta, quæ diligenter recitavit *Bonfinius.*

Ojectio-ni diluun-tı.

Mrcoman-n'um ex-c'ia.

O'ius in Ab- ti C. 13. & C 7. & priùs C C'imachus in ttila. A'zreiter P. 1. b. 5. hiſt: B num: 19.

B fin: Deca- d ib: 1. & 2.

Alterum ex ipſo *Marobodui* nomine argumentum petunt; quòd *Marobud* Sarmaticum quiddam ſonare videatur, *non minùs*, inquiunt, *quàm Koribut;* hinc *Marobodui* ſucceſſores *Vannius, Sidon, Vangio, Turſius* (ex quo genere *Stanislaum Turſonem* Epiſcopum Polonum deſcendere quidam opinatur) *Vibilius, Jubilius, Tudrus &c.* unde *Drahomira de Todor.* DEUS immortalis! tam levibus conjecturis induci quempiam, ut ob eas, omnibus ſuæ, & noſtræ ætatis Scriptoribus derogare fidem auſit? quid enim *Sarmaticum*, amabò, ſignificat *Marobodus*, quàm aut *Catavalda*, aut Regina *Fritigil*, aut poſtea *Marobaudes Conſul Romanus*, aliáque ſexcenta nomina Germanorum à Romanis Scriptoribus corrupta? quid alia quæ adfert nomina? *Vibilius* inquit, že ge Nepřátely wybil. Conficta hæc eſſe in vocis gratiam, quisque prudens intelligit, non minùs, quàm poſtea idem Scriptor, cùm *Genſerici Vandalorum* Regis nomen (quod etiam conſtat omnibus Germanicum) Slavicum eſſe ſuſpicatur; *Genſericus Genſerich*, genž gſy Rek (qui es heros) non facilè riſi ſonantiùs, quàm cùm hæc legere, neque refutationem profectò, ſed riſum iſta merentur. Nomen *Koribut* quod adducit, neque ipſum Slavicum eſſe *Lithuani* ſciunt, ſed diſtinctæ à noſtra lingvæ Lithuanorum; *Turſonem* Epiſcopum à *Turſio* deſcendere quis unquam quæſo ſomniavit? *Turſonum* ſtirps *Ungarica* fuit, non *Polonica*, cujus originem longè diverſam attulêre Scriptores Ungarici. Ejuſdem eſt farinæ illa de *Todor* conjectura: nam ſi ex nominibus una aliqua & nuda probatio, ad evertendam omnium Scriptorum authoritatem diſertè contrariam partem ſtatuentium ſufficit, profectò ego me Cæſareâ ſtirpe genitum eſſe probabo, cùm nomen congruat & in *Indicibus Cæſarum*, & in *Nummis* legatur.

M'robodu- u non eſt n men Sla- v um.

Nominum deductio, ſi abſint cætera, nihil, vel parum probat.

Objicitur & illud: ſi cum *Maroboduo* Slavi in *Bohemiam* non venerunt, non apparere, quis eos alius in has oras induxerit? reſpondemus: ſi adverſarius hic noſter cum omnibus *Bohemiæ, Poloniæ, & Germaniæ* Scriptoribus *Czechum & Lechum Duces* (quos ille contra conſenſum omnis ævi *imaginarios* appellat) admittere voluiſſet, haberet ſine dubio, qui in *Hercynios* ſaltus, & in Poloniam *Slavicas* gentes inducerent.

Ultima objectio, eáque potiſſima eſt:

Ex ſocietate armorũ non infertur linguæ cõmunio.

eſt: quòd *Marobodus* multorum populorum *Rex* fuerit, & ſine dubio etiam *Vandalorum* (quos Scriptor *Slavos* fuiſſe falsò exiſtimat) quomodo igitur eum, ſi *Germanus* fuiſſet, toleraſſent? item quod *Julius Capitolinus* narret: *Marcomannos & Quados* bellum cum M. *Aurelio Antonio* gerentes, habuiſſe inter auxilia *Pencinos*, *Baſtarnas*, *Oſtrogothos*, *Roxolanos*, qui ſine dubio *Sarmatici* populi fuêre. *non poteſt autem præſumi*, inquit, *adjuturos fuiſſe Marcomannos, niſi ejusdem linguæ Marcomanni fuiſſent, id eſt Sarmatici.* Hic eſt *Achilles!* ſed hunc *Achillem* ad *Trojam* non modò *Phryges Trojani*, & ejusdem ſermonis populi, ſed etiam *Amazones* repulerunt. An exempla deſunt ætate noſtrâ, ſub iisdem ſignis adverſus communem hoſtem diverſis lingvis militantium nationum? nupero tricennali bello, quot ſe populi *Svecis* addidêre? tales tum erant *Romani*, qui cùm ſeſe *rerum Dominos* dicerent, & univerſum orbem armis ſubjicere fas eſſe ducerent, repellebantur ab omnibus, arma ſociabantur ſeptentrionalium populorum, ut poſtea in Attila patuit, qui ut loquuntur Scriptores, *Germanicum & Scythicum Imperium conjunxit;* Si *lupi raptores atra in nebula, quos improba ventris exegit rabies*, impetum in ſtabula fecerint, & paſtores, & coloni, & canes, pecudésque cæteræ generoſiores ad arcendam vim concurrunt; ita fiebat, cùm *Romani*, aut *Rhenum*, aut *Danubium*, aut *Albim* transgreſſi nunciabantur; ſed *Maroboduum Vandalos* in Exercitu habuiſſe nondum legi, & quanquam ita eſſet, ex diverſis gentibus conſtituiſſe ſibi Regnum, & *Strabo*, & *Caſſius*, & *Vellejus*, & *Tacitus* teſtantur. *Oſtrogothos* certè (ut alios prætereum) *Germanicos Populos* fuiſſe, plusquam certum eſt, quos idem *Author* inter *Marcomannorum* auxilia numeravit. Alia quæ adducit argumenta longè debiliora ſunt, quibus plerumque ipſa Authoris ſententia, ut patebit poſtea, jugulatur. Sed quis miretur, *Marcomannos* inter Slavorum populos ab hoc Scriptore cenſeri, cùm etiam *Wandalos*, *Quados*, *Vindelicios*, *Herulos*, *Pannonios inferiores & ſuperiores*, imò adeò ipſos *Hunnos* (quod omnino ſuſtineri nequit, ut poſtea ſuo loco patebit) nullâ authoritate, ſed ſolâ conjecturâ & nominum remotiſſimâ derivatione *Slavos* fuiſſe contendat?

Virg:

Tacit. l. 2.

Quadi e Svevis or[...]

Quados certè *Gentem Germanicam*, & ex *Svevis* ortam Sole meridiano clarius, ex optimorum Scriptorum ſententia *Goldaſtus* demonſtrat, & adjicit: *voce* inquit, *germanicâ Quaden, qui aliis ſunt moleſti, nuncupantur.* Videat, amabò Lector, *Vohburgij* hiſtoriam *Romano-Germanicam*, in qua omnia quæ docui, tantâ authoritate (*Vandalos*, *Marcomannos*, *Quados Germanos* populos fuiſſe) probata inveniet, ut obſiſti nullo pacto poſſit. De *Quadis* eadem habent *Cluverius*, *Meibomius*, *Spangenbergius*, & ut ſemel dicam, omnes qui de *Quadis* egerunt, vetuſti juxta ac novi Scriptores.

Gold. l. 1. Juribus Bo[he]miæ C. 12. Cluver: l. Germ. ant. C. 30. Meibom: i[n] Witik. Spangenbe[rg] in Chron. [...]non. C. 13

C A-

CAPUT V.

Defensio Majorum nostrorum Slavicæ Gentis Originem à Turri Babel petentium adversus Silvium; idem fecisse olim & facere alias omnes nationes: Sinas, Græcos, Hunnos, Germanos, Romanos, ac cæteros. Putidum commentum Curæi & Schickfusij. An Sclavi, aut Slavi dicendum? Slavos à Moscovitica Urbe Sklovv appellationem non habere. Slavorum nomen post A. C. 500. primùm in historijs legi.

MAgnam authoritatem & fidem historię nostræ conciliavit *Æneas Silvius* Piccolominæus, postea *Pius II.* ac nescio, utrúmne alicujus gentis profana historia ab aliquo è Pontificibus Romanis, & an diligentiùs, & majore fide sit tractata; illud tamen permirum & verò etiam nonnihil injuriosum semper visum est *Æneam* legenti, quod acerbiùs gentem nostram perstringere, & irridere Majores nostros videatur ex eo capite, quòd tam altè gentis suæ primordia, ab ipsa scilicet confusionis turre, dum labium universæ terræ confusum est petant. *Vana*, inquit, *laus & ridenda!* Ego quid rideri possit, non video. dicere voluerunt Majores: linguam suam (quâ, maxima *Septentrionalis Europæ*, nonnulla etiam *Asiæ* pars hodiéque utitur, ut *Vaticana Bibliotheca*, Liber Romæ editus, demonstrat) *primigeniam* esse, atque inter duas illas & Septuaginta Orbis universi linguas censeri; quod verissimè dici, quisquis amplitudinem ejus lingvæ, Nationum in eâ diversitatem, lingvæ ipsius elegantiam & sanctitatem (nam in sacris eâ uti etiam apud *Moravos & Bohemos* olim licebat, & hodie apud *Ruthenos*, plurésque alios licet) ac cæteras ejus prærogativas examinârit, facilè concesserit; hæc gloriatio certè vana nō evadet, si nonnullas alias lingvas ex corruptione & confusione gentium barbararum natas spectemus; videatur *Melchior Inkoffer* in laudibus Lingvæ Latinæ. addit Æneas: *nondum ego quempiam legi Authorem, cui fides adhibenda sit, qui tam altè suæ gentis initium reddiderit.* Ego contrà ajo: nullam fuisse nationem, aut potiùs nullum alicujus gentis Scriptorem, qui gentis suæ antiquitatem non examinârit, aut si id non posset, unde illa nata sit, unde à prima origine descenderit, quâ ratione, quo tempore, quibus Ducibus, quibus caussis, aut in *Africam*, aut in *Europam*, advenerit, non explicârit; ut taceam quòd omnibus ijs quicunque Matricem, ut ita dicam, lingvam aliquam esse statuunt, ut fecit *Theophus Raynaudus*, eâdem operâ ad *Turrim Babel* confugere sit necesse. *Sinarum* natio nimium gloriosa, tribus annorum millibus ante *Christum* natum, historiam suam inchoat, ut ostendit *Martinius*; legantur *Græciæ* populorum de antiquitate certamina apud *Plutarchum*, ac præsertim *Pausaniam de Atheniensibus, Arcadibus*, ac cæteris; Prætereo *Sveciæ, Daniæ, Gothiæ, Hispaniæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæq́;* Scriptores, suarum gentium Originem à primis hominum colonijs arcessentes; alios à *Phœnicibus & Tyrijs* antiquissimis hominibus, alios à *Teucris*, alios aliunde; quidam cùm homines deessent, & non satis antiqui viderentur, ad Deos ipsos primordia retulêre, & *Martem & Jovem, & Neptunum*, authores gentis fecêre

Æn. Sylv. in hist. Boh.

Pleræq; gētes lingvæ suæ antiquitatem jactant.

Theoph. Raynaud. in Tabulis Chronogr.

Mart. in Atlante. præfat. ad Lectorem & in Epitome historica extremæ Asiæ.

Dionyſ. Halicarn. in hiſt. Rom. Liv. Decade. 1. init. Bonfin. Dec. 1. lib. 9.

fecêre; vide quæ de Romanis *Dionyſius*, *& Livius*, de *Germanis Corn. Tacitus* tradidêre. *Bonfinius* homo Italus totus in eo eſt, ut antiquiſſimam *Hunnorum* eſſe gentem demonſtret; habétque Genealogiam quandam, per quam *Reges Ungariæ* continuâ ſerie à *Noë* deducit; mitto de Germanis & primâ Hominum linguâ *Tevtonicâ*, *Goropij Becani* ſomnia, quæ ipſis *Germanis*, *& Lipſio Batavo* benignam riſûs materiam præbuerunt: putidè in hoc argumento verſati ſunt *Curæus*, *& Schickfuſius*: hic, ut antiquitatem gentis ſuæ aſſereret, antiquiſſima & obſoletiſſima quæque gentium nomina, ubiubi, temere in marginibus hiſtoriarum reperta, non magis ad *Sileſiam*, quàm ad aliam quamcunque gentem pertinentia, *Sileſijs* impoſuit; alter verò ridiculè DEO grates agit, quòd ſingulari ejus providentiâ factum ſit, ut ſemper *Judæi*, ſuæ genti permixti eſſent, ut aliquam cognationem cum electo populo haberent, *ut* inquit, *iſtæ gentes jungerentur*; alibi aſſerit eoſdem *Iſraëlitas* ductores fuiſſe ſuæ gentis *Cimbricæ*, ideóque ejus beneficij gratiâ, quotannis *Hieroſolymam* ad templum Majores ſuos munera & quædam tributa miſſitaſſe; ſtultiſſimum ab homine hæretico commentum! rectiùs *Henelius* nobiliſſimæ gentis nobilis Scriptor, ait: *eas, qui Sileſiæ, & Civitatum, ac locorum in ea origines aliunde, quàm ex Slavica lingva petant, graviter inſanire*; conſignat etiam annos, quibus alieno populo, præcipuè ex *Marchia Brandeburgica*, *Sileſia* cœperit impleri, neque dubia eſt *origo Sileſiæ* nominis, quod & *Hagecius & Cromerus & Henelius* ipſe à Populorum qui in ea conſederint, diverſitate natum eſſe ſignificat. Plerique Germanicæ hiſtoriæ conditores ab *Japheto Noë* filio & *Gomero*, & neſcio quo *Aſceneze*, Noëmi pronepote, *Celtas* (quo nomine *Gallos & Germanos* comprehendunt) proveniſſe ſcripſerunt, ídque ſuperbum nulli eſt viſum;

Curæus in hiſtor. Sileſ. init. f. 14. Schickfus. in hiſt. Sil. l. 1. C. 1.

Curæi & Schickfuſij ſomnia.

Henel. in Sileſiogr. C. 1.

quò ignoſcendum magis eſt nobis, ſi modeſtè linguam *Slavicam*, quæ propè dimidium *Septentrionalis Europæ*, nonnullam etiam *Aſiæ* partem complectitur, cum linguis cæteris primoribus in illa confuſione prima gentium à DEO infuſam affirmemus, quomodocunque ea poſtea ſit vocata (nam id nihil refert) *Sarmatica*, an *Venedica*, an *Heneta*, an *Balthica*, an *Slavica*, *Ruſſica*; hæc enim nomina multis poſt ſæculis ex regionibus & ſedibus quas natio hæc incoluit, ſunt enata; *Slavica* tamen hodie, & *Slavorum* lingva paſſim à Scriptoribus appellatur. Notandum eſt vernaculâ lingvâ non *Slavos*, ſed *Slovacos* dici; quod nomen Externi lingvæ noſtræ ignari nobis indere non potuerunt, neque credibile eſt Majores noſtros novum nomen contumeliæ cauſsâ aſſumſiſſe. Porrò, *Slavos* non *Sclavos* appellari invictis argumentis pridem demonſtravêre *Miechovius*, omnis hiſtoriæ & lingvarum peritiſſimus *Poſtellus*, *Decius*, *Bibliander*, *Borek*, & à *Sudetis* peculiari tractatione *de Origine Bohemoslavorum*, *ac deniq; Goldaſtus*, qui poſtremus ſi hanc *Etymologiam Sclavorum*, vel probabilem eſſe credidiſſet, nô prætermiſſet caput hoc, unde calumniæ argumentum tam facilè petere potuiſſet. *Sclavos* ab urbe *Moſcovia Sklovv* dictos recens quidam Scriptor (qui conjecturis ſuis futilibus totam nobis patriæ hiſtoriam pervertit) exiſtimat; at illum quàm plurima, quæ *Cromerus* adducit (*Slavos* non *Sclavos* dici oportere demonſtrans) tum etiam illud imperitiæ arguit, quòd *Sklovv Urbis* non niſi ſerò, poſt conſtitutum *Moſcorum* principatum condi cæpit; *Moſcorum* autem ſeu *Moſcovitarum* Principatus (nam nomen antiquiſſimum fuit) annos trecentos antiquitate non ſuperat, ut probavit diligentiſſimus & illuſtris Scriptor in ſua *Moſcovia Sigiſmundus Herberſteinius*. *Sarmatæ* igitur & *Venedi*, *Vendi*, aut *Heneti*, ſub quorum nomine primis illis temporibus *Bohemica*

Crom. l. 1. Pol. C. 1.

Slavíne Sclavi dum?

Miech. in hiſt. Pol. Poſtell. Comment. de lingvis var. & in tract. orbis concord. Goldaſt. de Bohem.

Crom. l. hiſt. Pol. C.

Slavorum nomen quando primum invaluit.

mica & Polonica natio latebat, quando *Slavorum* appellationem assumserint (à *Slavo* vel *Slovvo*, gloriâ vel verbo, voce deductâ) dubium controversúmque est; primi, quod sciamus, *Jornandes, & Procopius Slavorum* vel *Slavinorum* nomen in historijs usurparunt paulò ante A. C. 550. scribentes: tum *Paulus Diaconus* sæpius, præsertim An. 603. agens de ingenti multitudine *Slavorum à Cacano* Rege *Avarum* in Italiam ad *Agilulphum Longobardorum* Regem immissâ. Sed hæc omnia, & quidquid à quoquam quæstionis de *Slavis*, *Venedis*, *Sarmatis*, *Vandalis* moveri poterat, tantâ diligentiâ & authoritate Veterum *Cromerus* Varmiensis Episcopus tractavit, & dissolvit toto I. historiæ suæ libro, ut omnes, qui novare aliquid in *historia Slavica* velint, silere, digitúmque ori imponere oporteat. Unum illud de *Czecho & Lecho*, unde & quando in has oras venerint, nondum satis expeditum à quoquam, gravem controversiam continet, de qua (etsi definire in silentio Veterum nihil ausim) quid probabiliter tenendum sit brevissimè aperiam; videat *Lector* obsecro, quæ de *Czechi* adventu, ex accuratissimis tribus Scriptoribus, *Cromero*, *Welsero*, *Weleslavino* decerpta in *Epitome historica* quondam attulimus.

Jornand. de rebus Geticis.
Procop. de rebus Gothicis l. . & 3.
Paul. Diacon. l. 4. C. 29. de gestis Longob:

CAPUT VI.

Slavorum populi ex Sarmatia Asiatica, & Europæa, in Europam interiorem ascendunt. Bulgari, Sorabi, Roxolani, Mosci, Venedi. Venedorum in has oras multæ & variæ immigrationes; præcipuæ tres: maxima circa Attilæ tempora. Quàm latè olim Slavi, seu Venedi dominati sint.

Principio habetur pro comperto: ex *Jornande*, *Blondo*, *Pomponio*, *Cromero*: Slavorum Majores in *Europæa & Asiatica Sarmatia* habitâsse; præcipuè *Bulgari*, *Serbi* vel *Sorabi*, *& Roxolani*, *& Venedi* celebrantur. *Bulgari* relicto in Asia patrio flumine *Rhâ* seu *Volgâ* in *Mysiam* commigrarunt, tenéntque eas sedes etiam nunc ad *Pontum Evxinum*, *& effluentem Danubium*. *Serbi* (quos *Ptolemæus in Sarmatia Asiatica* collocat) postea non solùm *Bulgaris*, *& Rascijs*, *& Croatis* proximi in *Europa* consedêre, verùm etiam in *M[y]siam* & vicina *Albi* loca pervasêre, ubi nunc quoque idem nomen retinent (Srbi vel Sorabi) quos Germani *Wenden* appellant. *Roxolani* seu *Roxani*, seu *Russi* easdem hodiéque incolunt sedes, quorum finitimi in *Sarmatia Asiatica*, *Modoces*, in Evropa verò *Amaxobij* Ptolemæo, Pomponio Melæ *Hamaxobitæ* vocabantur; plerosque *Sarmatiæ veteris* populos unum *Moschorum* Imperium (qui vetus Moschenorum nomen, ut dixi, primùm ante 300. circiter annos recepêre) hodie complectitur. *Moschenorum & Mosciorum Ptolemæus, Plinius, Solinus & Strabo* meminêre, canítque de illis *Lucanus* sub *Nerone* scribens:

Sævisq; affinis Sarmata Moschis.

Ex *Moscis* quàm plurimi *Slavorum* Populi prodiêrunt, eámque ob caussam *Jornandes Russiam & Moscoviam, Vaginam Populorum vocavit.*

Venedos permagnam *Sarmatiæ Evropææ* partem antiquitus obtinuisse, & per totum *Venedicum sinum* maximas gentes *Venedas* habitasse, maximus author est *Ptolemæus*. *Jornandes* Ptolemæo

Slavicorum populorum primæ sedes.
Jornandes de bello Getico.
Blond. Dec. 3. lib. 9.
Pomp. Lætus in hist. Rom. Imperij lib. 2.
Crom. l. cit:
Ptolem. l. 5. Geogr. C. 9. & 13.
Pomp: Mela l. de situ Orbis.
Ptol. l. 5. C. 6.
Plin. hist. Natur. l. 5. C. 27. & l. 6. C. 9. & 10.
Solin: polyhistor. C. 20.
Strabo l. 2. Geogr.
Lucan. l. 3. Pharsal.
Jornand. in Geticis.
Ptolem. l. 3. Geogr. C. 6.
Jornand. de bello Getico.

mæo

mæo longè posterior, *Venidorum* nationem populosam ad sinistrum latus *Sarmaticarum Alpium*, quæ *Daciam* claudunt, à Civitate nova & *Slavino Rummanense* (notet Lector illud *Slavino*, unde fortasse *Slavorum* nomen) in Septentrionem, & ab exortu *Vistulæ*, ad *Danastrum* (hodie *Nester*, sive *Dnester* ab accolis dicitur) consedisse suo tempore, indéque ad *Pontum*, ac *Danubium* extendi, memoriæ prodidit. Has omnes modò memoratas gentes, *Sarmatiæ & Sarmatarum* nomine ab antiquis comprehensas demonstrat *Cromerus*; Ab hac ergo Sarmatica gente, (disertè *Venedos Velserus & Cromerus* nominant) jam pridem relictis primis sedibus, sive abundante domi multitudine, sive mitioris cæli cupiditate, sive aliâ de caussa, ad *Austrum & Evrum* migrationes & profectiones fieri cæpère. Nôta jam erat *Tacito Venedorum* gens, meritóque ille dubitat, utrúmne *Venedos Germanis*, an *Sarmatis* adscribat. Dixi *jam pridem migrasse*; nam cùm *Ptolemæus* qui A. C. 300. vixit, *Venedos ad Venedicum sinum* ætate suâ habitâsse scribat, & maximam gentem appellet, necesse est dicere longè antè *Christi* ortum, eam *primam Sarmatarum migrationem* contigisse; ac proinde in Chronologiam impegisse censendus est *Dresserus* cùm Ann: Christi 500. nominavit: *Heneti*, inquit, *Sarmatæ magnis agminibus nescio quo fato, in Marchiam infusi à Danubio ad fontes Albis, usq; ad Cimbricam Chersonesum, cũ toto tractu Balthici maris compleverunt, fermè ab A. 500. inde factũ ut Heneti totũ tractum à Vistula usq; ad Albim & Salã Ãnis 400. tenuerint.* quâ ratione A. 500. cùm ibi, juxta *Ptolemæũ Venedi* vel *Heneti* eorúmq; maximæ gentes jam A. 300. habitârint? ac fortasse ante alios Germaniæ populos advenerint? De *Migratione prima*, satis dictum videtur.

Sarmatæ antiquissimũ Slavicarum gentium nomen.

Crom. toto l. 1. hist. Pol. Welser. l. cit.

Tacit. comment. de Germania.

Item Venedi vel Heneti.

Dresser. in Isagoge histor. P. 4. in Brandeb.

Migratio secunda Slavorum.

Processu temporum, majore multitudine (angustis fortè domi rebus) paulatim *Venedi* in ulteriorem *Europam* sese infudêre sic, ut versùs *Meridiem in Daciam*, *Mysiam*, *Pannoniam*, *Dalmatiam*, *Illyricum & Istriam*, & versùs *Occasum* ultra *Vistulam* in ipsam *Germaniam* penetrarent, & opportunè (ut notat *Dresserus*) limitaneæ istæ Germanorum nationes habitatoribus quadam ex parte nudatæ erant, quòd *Vandali Germani* qui ea loca tenuerant, ut ex optimis Scriptoribus toties laudatus *Cromerus* ostendit, impetratis à *Constantino Magno* Imperatore sedibus in *Pannoniam* (ut etiam antè ex *Bonfinio*, alijsque Ungaricis Scriptoribus dictum est) populariter commigrassent. Id factum post Annum 300. à Christo nato annotant modò laudati, & laudandi postea Scriptores. Jam & Germanicis, & Romanorum Provincijs satis innotuerat *Sarmatica* natio *Venedorum*, cùm ecce *Gothi* gens cultu fæda, & barbara, ex *Asiatico Maotidis litore* in Romanum Imperium Anno 376. sese insinuare cæperunt: *Valentiniano defuncto* inquit, Ammianus, *exitiabile consilium, quo Romanum Imperium jam tunc nutans præcipiti ruinâ concideret, sub Valente, & Gratiano erupit, receptâ cis Danubium* (nota) *innumerabili barbararum gentium multitudine à Marcomannis & Quadis longissimo terrarum tractu ad Pontum usque, cujus numerum comprehendere illi ipsi qui transvexêre sæpius conati, nunquam potuerunt; cùm diligens* (antea) *navaretur opera, nè quis eversurus rem Romanam in adversa ripa relinqueretur.* Permissi sunt igitur (ut apud *Spondanum Baronius* loquitur) à *Valente Imperatore*, magno Reipublicæ damno, barbari *Gothi* (ab Hunnis ex transdanubiana ripa depulsi, & jam tum Christiani) *Istrum* transire, quem & aliæ proximæ nationes se ijsdem adjungentes transmisêre, Romanis licet invitis. Anno 378. *Stridonem* patriam suam à *Gothis* eversam scribit *D. Hieronymus*; quos postea An: 379. in amicitiam populi Romani receptos, etiam in militia Romana invenisse

Dress. in Isagog. histo. in voce Sl.

Crom. l.

Ammian. & 31. Jornand. reb. Getic. Velser. l. 2. Boic.

Hunnorum & Gothorum migrationes.

Spond in Annal. Eccl. A. C. 376.

Apud Spond. ad A. 378. n.

osimus l. 4. mmian: l. 31. rnand: l. cit: osp. in Chronico.

nisse locum *Zosimus* testatur. Major tempestas in Imperium tam Orientale, quàm Occidentale detonuit: quippe *Attila* cùm circa Annum 428. apud *Hunnos* regnare cæpisset, sibíque omnes propè septentrionales populos, verbo: universa Germaniæ & Scythiæ regna adjunxisset, septingentorum millium Exercitum ducens, An: 451. ad demoliendum *Romanum Imperium* animum adjecit, & *Galliam* ingressus est (decies centies millia in *Attilæ* castris fuisse, præter auxilia affirmat *Bonfinius*) inter subjectos populos, qui eum secuti à coævis Scriptoribus memorantur præter Hunnos, *Boij*, *Marcomanni*, *Quadi*, *Turcilingi sive Rugi*, *Thuringi*, *Sarmatæ*, *Saxones*, *Burgundiones*, *Alemanni*, *Pannonij*, *Heruli* cum suis Regulis, *Gepidæ* cum Rege suo *Ardarico*, *Ostrogothi* sub Rege suo *Valamiro*, ac innumeri alij Septentrionales Populi fuère. Pugnatum est in campis *Catalaunicis*, & centum octoginta millia hominum in prælio cecidère; *Attila* victus in *Illyricum* secessit, sed Anno sequenti reversus, plurimas *Italiæ* civitates expugnatas delevit. Hoc anno Venetiarum Civitas ante annos 30. fundata, confluentibus ad eam securitatis gratiâ ex *Italia* populis, maxima cepit incrementa; fabulari enim eos affirmat *Spondanus*, qui eam longè antè hæc tempora conditam scripserunt. Ad Annum Christi 454. Imperium ab *Attila* vexatum, tandem ejus morte secutâ respiravit, persequitur ea omnia latissimè *Bonfinius*, tum cæteri *Ungarici*, qui de *Attila* egerunt, Scriptores; post eius mortem cùm filij (quorum ingens erat turba) patri pares ad imperandum animos, ac cætera non haberent (ut jam antè C. 5. monui) scisso in partes Imperio, & prælijs ex ea discordia Ducum (duorum præcipuè *Ardarici* seu *Alarici*, quem *Quadi & Marcomanni* sectabantur, & *Chabæ* seu *Ellaci Attilæ* filij, qui ad *Sicambriam* seu *Budam* victus est) secutis, formidatum illud *Hunnorum*

ttilæ in om. Imperii incursus.

nfin. Decade 1. lib. 3. desl. præf. Cutheni Sylum. osp: in Chronico. ssiod: in ronico. simus l. 6. iscella histo: 15. lser: l. 2. ron: ad A. 451. ros. l. 7. C. eron. Epist. desl: l. cit: gebertus. Aimoinus. ulus Diaco: rnandes. lonius. Apollinaris. nf. Decade l. 6.

enetiarũ igo.

oud: l. cit: nfin. l. cit. ich: Ritius 1. rer: Un-r: labus in Attila. allimachus Attila. erolt in Chronolog. Ungar.

nomen contemtui esse cæpit; eò demum perventum est, ut ex tanto exercitu paucissimi superessent, mutuis cladibus suis, & vicinorum armis deleti, & in *Asiam* ipsam ex Pannonia rejecti; unius Regni interitu multa passim nova regna exorta *Welserus*, *Adelzreutter*, omnésque qui hæc tractarunt Scriptores affirmant. Ab eo tempore & *Marcomannorum*, *& Quadorum*, *& Bojorum* in ipsa *Bohemia* nomen ægrè nisi in marginibus historiarum, ut ita loquar, inveneris; etsi paulò antè latè in Imperio Romano terrorem sparserint, & arma circumtulerint: nam (ut est in *Zosimo*) *Vandali assumptis Quadis, & Marcomannis ad Rhenum progressi A. C. 406. omnia pervastarunt*; ac paulò pòst, ijdem *Wandali* duce *Caroco*, repetito cum *Marcomannis Quadisq;* fœdere, Romani Imperij Provincias invaserunt, ut *Sigegebertus & Aimoinus* testantur; nimirum ad paucissimos redacti, à *Slavorum* populis novam iterum coloniam ducentibus, sunt vel depulsi, vel in unum cum advenis pluribus corpus redacti: *illud*, ait, V. Cl. & omnis historiæ scientissimus *Velserus*, *dubitationem non habet*: *Marcomannos*, *sociosq; populos pulsos esse interiore Hercyniâ à Slavis Sarmaticâ gente, quæ Zechi Ducis nomine dicta, nunc appellationem retinet, sed temporis ratio in controversia. Nobis probabilis visa, Cromeri accurati Scriptoris multiplex ad Attilæ ævum derivata ratiocinatio, nisi credibilius Attilâ demum mortuo, Sarmaticis primùm irruptionibus viam patuisse*; hæc Welserus; confirmat sententiam suam ex nescio quo vetusto *Boico* Scriptore (quem non nominavit) asserente, per ea tempora (sub *Attila* scilicet) *Venedos* in Germania interiore cæpisse invalescere, finitimósq; populos *Svevos* & *Bojos* præcipuè, infestasse, qui cùm *Bojohemo pulsi cederent, Zechum & Crocum Venedorum Reges successisse*, *Bojos* ad *Nariscos abijsse*. De hac secunda Slavorum in has oras immigratione intelli-

Welser: l. 2. rer. Boic: in fine. Adelz. p. 1. l. 5. n. 19.

Zos: l. 4. hist.

Marcomanni à Czechis Slavorum gente, Bohemiâ pelluntur.

Welf. l. cit.

Nota.

Cromer: l. 1. rer: Polon. C. 4. 9.

Lib: de Origine Bohem:

telligendus eſt Joannes Matthias à Sudetis: *hunc in modum*, inquit, *miſere deſolata & deſerta Germania, atque Attilâ quoque ipſo jam vitâ functo, filijs præterea inteſtinis & Gothorum armis denuo oppreſſis, Sarmatæ* (ſeu Slavi) *perrexerunt, & primò vicinam Poloniam, mox ipſam Bohemiam, rejectis in veterem ſedem Marcomannis, quorum vires Attilæ quoque bello, & tot longinquiſſimis expeditionibus ſunt attritæ, occupârunt; cùm quidem in Germania nulla eſſet potentia, quæ illos impediret. Auctâ deinde paulatim multitudine, cætera quoque Germaniæ loca ad Albim, & Salam, totúmque tractum maritimum, qui eſt ad mare Balticum uſq; ad Viſurgim, ultra terminos etiam Veterum Svevorum, in ditionem ſuam redegerunt.* hæc Mathias. Quæ de *Bohemia* & *Polonia* vera quidem eſſe poſſunt, at quod de maritimis terrarum tractibus, & de *Balthico mari* dicitur, ſuſtineri difficulter poteſt; cùm longè ante hæc tempora, ut paulò antè ſcripſi *ex Ptolemæo, ad Venedicum ſinum Venedi* habitârint.

Cuthen: in Silvium C. 9.

Reliquiæ Marcomannorum in Boh.

Cuthenus rem novam, & nulli, quod ſciam, priorum Scriptorum traditam commemorat: cùm *Czechorum* natio in *Bohemiam* adveniſſet, non vacuam omnino reperiſſe provinciam, ſed quibusdam ex priore Germanorum populo reliquijs & familijs inſeſſam, immixtos in *Bohemia Slavis Germanos* uſquè ad *Vogeni* Ducis tempora habitaſſe, *Vogenum* pacis ſtudio *Czechos à Germanis* ſeparaſſe, atque his *Luſatiam* inhabitandam dediſſe, impoſito ijs Principe filio *Wratislao*, *Winislaum* apud Bohemos regnaſſe; atque inde factum ut *Sirbij* ſeu *Luſatij*, quàm à Bohemis olim didicerant linguam, Tevtonicis vocibus admixtis corruperint. Quæ ſi vera ſunt, facilè apparet, cur *Wratislao* impuberi filio Præfectus Germanus homo, ex Thuringia, petitus ſit (ut in Scriptoribus noſtris legimus) videlicet ut ejus populi linguam puerulus addiſceret, cui olim erat imperaturus.

Adam: l. 2. 10. & l. 3. 22. Meibom: 1. 2. Vitikin.

Penetraverant, ùt ſæpius jam dixi, *Slavicæ* gentes in intimam uſq; *Saxoniam* præſertim *Megapolenſes Reregi*, refértque ex *Adamo Bremenſi* pervetuſto Scriptore *Henricus Meibomius*, *Slavos* poſtea militaſſe ſub *Carolo Magno* (quo tempore *Neklan*, *Wogeni*, de quo paulò antè dixi, pronepos, apud Bohemos imperitabat) & cùm *Carolus Magnus Saxones* quoſdam *trans Albim* poſitos in *Franciam*, velùt inquietos & pacem publicam turbantes, transtuliſſet, veniſſe ad *Carolum Slavos Reregos*, & ab eo pagos *Saxonum* deſertos poſſidendos accepiſſe. Nomina *Principum Slavorum gentis*, in Antiquis Annalibus extare, videlicet: *Wizanus*, *Cedrugus*, *Slamir* ſeu *Slavimir*, *Tabamvizil*, *Traſco*, *Treſſugus*; quæ nomina *Slavicum* aliquid, ut apparet, ſonant, ſed à vetuſtis illis Germaniæ Scriptoribus corrupta ſunt. Clariùs longè ac diſtinctiùs, partitis omnibus *Slavorum* ad uſquè *Mare Balticum* regionibus, ut tum erant, dum hiſtoriam deſcriberet, idem *Adam* explicuit priùs; quem, ut conſtet omnibus, quàm latè *Slavi* dominati ſint, deſcribam: *ipſo tempore* (id eſt A. 971.) *magnus Otto ſubjugatis, Chriſtianâque fidei copulatis, Slavorum* (nunquam *Adam* vetuſtiſſimus Author aliter ſcribit, neque unquam *Sclavos*, ſed ſemper *Slavos* nominat) *gentibus, inclytam Urbem Medenburg* (Slavis dictam *Dievvin* quaſi dicas *Urbem puellarum*) *ſuper ripam Albiæ* (Albis) *fluminis condidit, quam Slavis* (notandum diligenter) *Metropolin ſtatuens, Adelbertum ſummæ ſanctitatis virum ibidem conſecrari fecit Archiepiſcopum. Is primus in Magdeburg ordinatus, duodecim annis ſtrenuè Pontificatum adminiſtravit, multósq; Slavorum populos prædicando convertit; cujus ordinatio facta eſt anno Imperatoris & Archiepiſcopi trigeſimo quinto: & ſunt anni poſt ordinationem S. Anſgarij centum*

Slavorum populi uſq; ad Mare Balticum.

Adam: l. 2. 7. 8. 10. Baron. in Annal: Eccl: An: 971.

Nota chronologiam.

centum triginta septem; Magdeburgensi Archiepiscopo subjecta est tota Slavonia usq; ad Penem fluvium. Episcopatûs Suffraganei quinq;, quorum Mersiburg (Tisca) super Salam flumen condita, Misna super Albiam, Brandeburg & Hevelbierg interiùs vadunt. Sextus Episcopatus Slavoniæ est Aldinburg (Staregradum Slavis) quòd vicinior est nobis, Imperator Hamaburgensi (Hamburgensi seu Bremensi quos duos Episcopatus in unum conflaverat jam pridem A. 858. Ludovicus Imperator ut habet Baronius) Archiepiscopatui subjecit, ibique Archiepiscopus noster primum ordinavit Archiepiscopum Curaccum vel Edvardum, quem Latini dicunt Evagrium. Pergit Adam Provincias Slavorum suo tempore enumerare: Slavonia igitur amplissima Germaniæ Provincia Vinulis incolitur, qui olim dicti sunt Vandali (notet Lector vocem olim, non igitur hoc tempore; deinde dicti sunt, quòd Vandalis successissent, non quòd Vandali essent) decies major esse quàm nostra Saxonia fertur, præsertim si Bohemiam, & eos qui trans Oderam sunt Polonos, quia nec habitu nec linguâ discrepant (nota Veterum habitum Bohemorum) in partem adjeceris Slaviæ. Hæc autem regio cùm sit viris, armis, & frugibus opulentissima, firmis undique saltuum & fluminum terminis clauditur. Ejus latitudo est à Meridie in Boream, hoc est ab Albia fluvio, usquè ad mare Scythicum, longitudo autem illa videtur, quæ initium habet à nostra Hamburgensi parochia, & porrigitur in Orientem, infinitus aucta spatijs usquè ad Bengvariam (forsitan Bulgariam intelligit) Ungariam & Græciam. Populi Slavorum multi: quorum primi sunt ab occidente confines Transalbinis, Vagri, eorum civitas Aldenburg (Starogradum) maritima; deinde sequuntur Obotriti, qui nomine Reregi vocantur, & civitas eorum Magnopolis. Item versus nos Polabingi, quorum Civitas Razisburg: ultra illos sunt Lingones & Varnagi. Mox habitant Chynici & Circipani, quos à Tolosantibus & Rheteris separant fluvius Penis & Civitas Dymin, ibi est terminus Hamburgensis Parochiæ. Sunt & alij Slavorum populi, qui inter Albiam & Odderam degunt, sicut Helveldi, qui juxta Haloam, sive Heilam fluvium, & Doxani, Leubuzi, Vilini, Stoderani cum multis alijs; inter quos medij & potentissimi omnium sunt Rhetarij, civitas eorum vulgatissima Rethre, sedes Idololatriæ. Templum ibi magnum constructum est dæmonibus, quorum Princeps Redigast, Simulacrum ejus ex auro, lectus ex ostro paratus (civitas ipsa novem portas habet undique lacu profundo inclusa) pons ligneus &c. &c. tum describit admirandam Civitatem Slavorum Jumne dictam. Hæc ex vetustissimo Chronographo Adam; cujus authoritate quàm frequentissimè niti solet Baronius; fuit Adam Bremensis Canonicus, & proximus temporum illorum, utpote qui A. C. 1067. se in Ecclesiæ Bremensis Marticulam Clericorum inscriptum testatur. In eandem sententiam longè Adamo Bremensi antiquior Witichindus Ottoni Magno à sacris, docet: Saxones adventitium esse populum, & navibus in illas oras advectum, qui cum à Thuringis arcerentur, quòd terram non haberent, Saxonem ingeniosum adolescentem, multo auro oblato, à quodam Thuringo pugillum terræ emisse, cujus pulverem per agros sparserit subtilissimè, ut loquitur, eâque ratione terram suam à se emtam dixisse, castrisque positis, prælio cum Thuringis inito, vicisse, ac terram illam obtinuisse. Eadem insinuat Siffridus Presbyter Misnensis; adjicit: hos Saxones sub Vespasiano Imperatore, Exercitum in Britanniam misisse, qui ibidem consederint, & Anglo-Saxones hodiéque vocentur. Hæc ideo adduxi, ut quisq; intelligat, quàm alia sit hodie, ac olim fuerit, in iis regionibus rerum facies, & aliqua ex antiquitate lux affulgeat ijs, qui hodiernam tantùm ætatem respiciunt, aut mirantur; sed ad Czechos nostros redeamus.

Witich. l. 1. Annal. Saxon.

Saxones adventitius populus.

Siffrid. in Epitome lib. 1.

CAPUT VII.

Ulterior Migrationum Slavicarum probatio. Weleslavini de his Migrationibus, & de Czechi adventu prima sententia prioribus congruens. Attila Slavorum nationi peramicus. Svvatoplucus Moraviam obtinet.

Bojemia ab Germanis ferè deserta fuit, cùm Czechus advenit.

EX his quæ modò attulimus, satis intelligitur caussa, quæ *Czechùm & Lechum* Fratres permovere potuerit, cur contemtis fertilissimis utriusque *Pannoniæ*, *Italiæ*, cæterisq; beatis regionibus, sed ijsdem inquietissimis, & bello tum ardentibus, *Bohemiam* elegerint; cessabit pariter *Jodoci Decij* egregij Scriptoris admiratio, quâ ratione fieri potuerit, ut veteres Bojemiæ Incolæ (*Boij*, *Hermunduri*, *Marcomanni*) à tam parva *Czechi & Lechi* manu potuerint superari. Jam nimirum Slavorum multitudo pridem, non modò in *Moraviam & Bohemiam*, sed procul in *Saxoniam*, & inde usq; ad mare Balthicum ducebant colonias, deinde *Bohemia*, ut antè probavimus, populo carebat; denique *Decio* historico Poloniæ *Cromerus* respondeat: *Non est incredibile* ait Cromerus, *id quod antiquitatis famâ & consensu celebratur*, *Lechum cum fratre Czecho è Croatia in has terras venisse non novas quidem colonias deducentes*, *sed ad consangvineos populos*, *qui jam antè hæc loca habitabant sese conferentes. Nec multum refert*, *suâne sponte*, *an necessitate*, *nempe pulsi vel formidantes vim domesticam id fecerint*, *an acciti sint.* Ab hac sententia non multum dissentit *Dubravius*, faciléque id mihi persvadeo ex *Jornande*, qui sub Regno *Attilæ* Venedorum seu Slavorum regionem sic describit, ut omnia (provoco ad Lectores) *Bohemiæ* nostræ congruere videantur.

Decius l. de Antiquit. Polon.

Crom: l. cit:

Jornand. de rebus Geticis f. 140.

Progressiones Slavorũ in German:

Non erit abs re *Weleslavini* patrij Scriptoris, & viri maximæ Lectionis, audire sententiam, qui se ex Authoribus optimis quæ sequuntur, describere gloriatur. Anno C. 451. *Slavi* vel *Vindi* ad *Vistulam* habitantes repulêre residuos *Wandalos* apud *Oderam & Salam*; occuparunt etiam loca, quæ nunc sunt *Mechlburgum*, & *Pomerania*, paulò pòst etiam insederunt *Marchiam*, *Brandeburgum & Misniam.* Tandem *Hermunduros*, inter *Albim & Salam* habitantes, extrusêre *Slavi*, eisque ademêre *Salem*, ubi nunc *Hallæ* sunt, cui loco nomen dedêre *Dobrosul* vel *Dobribor*; unde multi hodiéque pagi circùm ea loca *Slavicis* appellantur nominibus. Quæ sequuntur in *Weleslavino* notatu sunt dignissima: An. 495. regnabat ad *Albim Alaricus* Svevorum Rex; hic Slavorum & Vindorum potentiâ quotidie crescente animadversâ, cùm insuper regiones istæ ab *Hunnis & Gothis* non ita pridem propè in solitudinem redactæ essent, relictâ *Bohemiâ*, *Silesiâ*, *Lusatiâ*, gentes suas ad *Danubium* Rhenum & Neccarum transtulit, ibíque sedes fixit. Idem, paulò pòst, *Bavari* (qui inter *Bohemicos* montes ad *Danubium* habitârant) egêre, ac in *Voitlandiam*, ac regiones circa *Noribergam* sitas concessêre. Ea res opportuna visa est *Czecho & Lecho* Slavorum Principibus, *Bohemiámq;* ingressos esse, ac *Populos*, qui Bojohemo claudebantur, cùm antea Vindi, Venedi, Slavi, Slavini appellarentur, amore Ducis *Czechorum* sibi nomen indidisse; hæc *Weleslavinus.* Quæ narratio plurimum probabilitatis, atque etiam authoritatis continere videtur; quam ille ex *Aventino*, *Lazióq;* describit, eadem

Welesl: p... in Silv: ...

Svevi Albi disc...

Boij v... po... tiùs M... mañi ... dunt ...

Czech Bohemia ingredit...

Aventi. l. 3 Annal: ...

L..us l. 8. de ..rat: Genti..
C..us in Annal. Silesi. init.
Th..nus l. 56. hi.. suor: tempo..

dem omnino memorantibus. Tres igitur egregij Scriptores *Welserus*, *Cromerus* & ex nostris *Weleslavinus* (quibus *Aventinus*, *Lazius*, *Curæus*, *Thuanus* subscribunt) plures *Slavorum* in has oras nostras immigrationes, & præcipuam *Czechi & Lechi*, *Attilæ* temporibus factam, consentiunt, quod ampliùs in sequentibus Capitibus discutiemus.

Ri..s l. 1. de ..b. Ungar. ..

At..la Sla..is erami..

Porrò *Attilam* Slavorum genti multum tribuisse varijs argumentis potest ostendi, & *Michaël Ritius* locuples testis est: *Post Attilæ mortem, & bella internecina, non magna manus Hunnorum in Pannonia substitit (qui appellantur Siculi) deinde, sive quòd ea regio vacua cultoribus, ob ingentes belli clades fuit, sive quòd Marotus miles Polonus* (hoc per prolepsin historicam accipiendum, cùm adhuc *Polonorum* nomen Scriptoribus ignotum esset) *bellicâ virtute clarus, ab Attila Mæsiæ, Bulgariæq; & Santepoluck Ungariæ impositus imperarint aliquandiu, proprium non habuit Regem, donec diu pòst relictis Hunni sedibus suis, rursus effusi cum liberis, uxoribúsque in Pannoniam redierunt. Ubi primo adventu benignè recepti nihil hostile moliebantur, posteà tamen Santopoluchum* (sine dubio Swatoplucum Regem) *armis ejecerunt.* hæc Ritius. *Svatoplucus* depulsus regni parte, alteram partem, scilicet *Moraviam* regionem à *Moravâ* fluvio (vel aliunde, vel à *Marotho* Rege, sic dictam) retinuit, & familiam suam regiam (qua de re externi & domestici Sciptores consulantur) fundavit. Sed hæc longè pòst gesta mittamus, ad principia redeundum est.

Moraviæ regno infesti Hunni.

Fabric: in Annalibus Misnæ l. 1. habet aliquid de Swendopoldo Duce Moraviæ.

CAPUT VIII.

Petri Codicilli sententia de Aureolo Tyranno à Czecho & Lecho apud Illyrios interfecto proponitur, & refellitur. Weleslavini Codicillo consentientis secunda sententia. Alexandri Gvagnini improbabilis opinio. Piasecij conjectura, quam nec probamus, nec rejicimus.

..d. l. de Czechi adventu.

IAm *Petri Codicilli* Viri ætate atavorum percelebris, & qui eum posteriùs, Curis secundis in Genealogico suo opere secutus est, *Weleslavini*, sententiam brevissimè examinemus: ait ergo *Codicillus*: *Czechum*, fratrem *Lechi* natu majorem, in *Illyrico*, seu apud *Illyrios*, qui *Croatæ* postea dicti sunt (quamvis *Bonfinius Valeriæ & Croatiæ*, seu, ùt ipse vult *Corvatiæ* nomen non esse recens, sed jam *Augusti* temporibus notum & usurpatum conetur ostendere, à *Valerio Messala Corvino*, qui *Pannonias Augusti* auspicijs vicerat, impositum) *Czechum* inquam, in *Croatia Illyrici Provincia*, Virum Principem, ac fortè etiam Regionis *Croatiæ Ducem*, cùm capto à Persis *Valeriano* Imperatore, *Aureolus* An. C. 262. in *Illyrico* à Militibus oblatum sumsisset imperium (de quo *Trebellius Pollio & Baronius*) & singulari immanitate & crudelitate in subjectos populos grassaretur (unde etiam inter *triginta Tyrannos* numeratur) tumultu popularium excitato, Ducem se præbuisse, & interfecto immanissimo Tyranno, eâdem operâ *Legiones Romanas*, quæ in *Aureoli* nomen jurârant, delevisse; addunt quidam (quos in *Epitome* citavi) raptam tum à *Czecho Romanam Aquilam* argenteam magnâ

..l. in Genal. Ducũ R..m Boh. ..i. præfat. ..S. Cuthe:

Cr..tia cui..sdam qu.. Corvat..

Trebell: Pollio in 30. Tyran: Baron: ad A. C. 262.

Codicilli de adventu Czechi sententia.

Florus l. 4. Epitomæ. Lipſ: l. de Militia Rom: & in Coment ad 2. Annalem Taciti.

gnâ ſemper Romanorum militum Religione, nè in manus hoſtium veniret, occultatam, ut ex *Floro & Lipſio* diſcimus; ob id poſtea *Czechum* in clypeo ſuo (ut hiſtoriæ noſtræ omnes teſtantur) *Aquilam* geſtaviſſe. *Czechi* in *Croatia* ſedes & ditio propria fuit *Pſary*, ad amnem *Crupinam*. Ergo cæde perpetratâ, cùm & ipſe *Czechus* non hoc ſibi ſic abiturum ſciret, *Romanósque* ultores timeret, circumſpicere fugam cæpit, & commodùm in aliqua *Bojorum & Moravorum* parte *Zalmaninus* quidam *Circipani* filius *ex Slavorum gente*, imperabat, cui cum Romanis frequentia bella intercedebant; invitati ab eo in ſocietatem belli *Czechus & Lechus* cum popularibus ſuis, & cum tumultuario illo, quem adverſus legiones Romanas collegerant, exercitu, raptis etiam Uxoribus ſuis & parvulis circa A. C. 278. adveniſſe, ac ſedibus auſpicatò in Bojemia fixis, *Zalmanino & Turskoni* ejus filio fidam in omnibus bellis operam præſtitiſſe.

Czechus ad populares ſuos in Bohē: venit.

Turskone in victoria *Conſtantini* adverſus *Licinium* peremto, univerſi populi Veteris & Novi conſenſu, ad *Czechum*, quanquam jam ſeniorem, atque ætate invalidum, ſummam rerum delatam, qui ſe *patri* in gubernando, quàm *Domino* ſimilem eſſe voluerit, ſummóque dolore amantis, & amati populi, ætatis An. 86. deceſſerit, cùm longè antè *Lechus* in ſeptentrionem diſceſſione factâ, *Poloniam*, ſeu dictam à ſe *Lechiam* fundaſſet, *Czechum* in *Ctinioves* tumulatum; *Klenium* unicum filium reliquiſſe inutilem imperando; decennium *Czechos* ſine Ducis imperio vixiſſe, dum *Crocus* denique ab Optimatibus An. 345. legeretur. Principes conſequentes, eorúmq; geſta tam accuratè, tanto ſemper ad Chronologiam reſpectu ſuis diviſa temporibus uſquè ad *Borzivoium* primum Chriſtianum in Bohemia Ducem, ex authoritate Veterum Codicum apud *Weleslavinum* leguntur, ut hæc ipſa diligentia maximum Veritatis cuique prudenti præbeat documentum: unum illud de *Aureolo* ſuſtineri quomodo poſſit non video.

Fuit *Aurelius Flavius Claudius*, natione Dalmata, Vir bello egregius, neque unquam crudelitatis ullius, maximè in ſuos *Illyrios*, ac *Dalmatas* à Scriptoribus accuſatus; deinde non eſt à popularibus ſuis, aut *Illyrÿs*, ſed in acie commiſſo prælio à *Claudio* qui ſucceſſit & à Romanis occiſus; tandem & locus non congruit: non enim in *Illyrico*, ſed circa *Mediolanum* perijt ad eum locum, qui nunc ab eo *Pons Aureoli* nuncupatur, recitátque Epigramma ſepulchrale à *Claudio* ſcriptum *Pollio* in 30. Tyrannis, quod exſcripſit *Vohburgius*. Ex quibus omnibus colligimus: *Illyrios*, ſi adverſus Romanos inſurgere voluiſſent, pro *Aureolo* potiùs contra *Gallienum*, qui ab *Aureolo* anno poſt Chriſtum 268. cæſus eſt, quàm adverſus *Aureolum Dalmatam* & apud ſe natum pugnaturos fuiſſe. Cæterùm ſolo *Aureoli* nomine prætermiſſo, in *Weleslavini* narratione, Chronologiæ nulla vis fiet, cùm ex Scriptoribus eorum temporum ſatis conſtet: *Sarmatas* hoc tempore An. C. 263. & ſequentibus vehementer in *Illyrico* Romanã vexaſſe militiam; quos *Vohburgius Gothos* fuiſſe putat, *Scytharum* nomine à Scriptoribus Romanis appellatos; at meliores è Romanis, & qui bellum hoc geſſerunt, non *Scythas*, ſed *Sarmatas* nominant, qui tum *Illyricum* infeſtârint, & *Slavi* poſtea ſunt dicti: certè *Claudius* in Epiſtola ad *Regillianum*, quam recitat *Trebellius*, gratias agens ob ſervatum *Illyricum*, monet eum, ut cautiùs vincat *Arcus Sarmaticos*. De eodem *Regilliano Trebellius* ſcribit: eum contra *Sarmatas in Illyrico* multa fortiter geſſiſſe, & authoribus *Roxolanis* fuiſſe interfectum. Rurſus *Gallienum* Imperatorem *Cecropÿ Dalmatarum Ducis* gladio (niſi error ſit in *Cecropÿ* nomine) interemtum immiſſis percuſſoribus; idem ipſe *Vohburgius ex Pollione & Zonara* commemorat.

Aure[...] hi- ſtoria [...]m- matir[...]e- cenſe[...].

Adv[...]ſus Cod[...]llū.

Vohb[...]: ad A. C. [...] ſeq.

Ad[...]rſus Vol[...]urgi- um

Tre[...]l. in 3[...] Tyr[...]

Vo[...]urg. ad A[...] 266. Tre[...]l. in Re[...]gill[...]o.

morat. De *centum Sarmaticis Virginibus* captis, & fœdâ *Proculi* gloriatione, videatur *Vopiscus*. His igitur annis, quibus tota *Sarmatarum natio* in Romanos ab imo commota est (ùt omnes eorum temporum Scriptores significant) potuit *Czechus ex Illyrico* re aut malè, aut bene gestâ, Romanorum arma fugiens, cum prima *Sarmatiæ* nobilitate in *Hercyniam* cultoribus magnâ parte vacuam, penetrare sese, & apud populares suos *Sarmatas* (Slavos) seu invitatus, & in auxilium vocatus, seu alijs de causis, novas sedes quærere, ac fæliciter invenire. Tantùm de *Codicilli* sententia.

Alia de *Czechi* in has terras adventu singularia quædam profert *Gvagninus* Veronensis, quæ unde acceperit nescio: *Czechum* videlicet, & *Lechum* non cædis alicujus reos, sed domesticæ seditionis in *Illyrico & Dalmatia* pertæsos, uno consilio, unâque mente in *Germaniam* procul abijsse, & hasce omnes regiones transgressos, condidisse in *Veseræ* ripa Civitatem *Bremie* (quæ vox Slavicâ lingvâ *onus* significat) quo indicarent hîc se miseriarum onus deposuisse; *Czechum* postea in *Bohemia* consedisse; at *Lechum* fratrè ultra progressum Regulum quendam Germaniæ duello vicisse, Regnúmque illius cum tota *Pomerania* occupâsse; *Lecho* mortuo, ad fasces Imperij *Polonici ex Bohemia* evocatum esse *Cracum*, eum fuisse Nepotem *Czechi Principis Bohemorum*, qui de suo nomine *Cracoviam* condiderit. Multa nova, narratio ista *Gvagnini* continet; quæ an sustineri possint alijs disputandum relinquo; id tamen improbabile videtur mihi, tot intermedijs spatijs relictis, primo, ut sic dicam, pedatu, *Czechum, & Lechum Bremam* usquè per omnium Germanorum capita transcendere potuisse; ijs assentior, qui lentè ista peracta, & terras illas occupatas à *Slavis* paulatim, & temporis aliquâ intercapedine, docuerunt, videtúrque ipse locorum & terrarum situs adversari *Gvagnino*. Ad extremum jam nuper ex *Ptolemæo* docui An. C. 300. *Venedos* incoluisse *maris Venedici litora*, atque ita *Gvagninum* suos *Slavos* nimis tardè in *Pomeraniam* adduxisse.

Post hæc scripta venit in manus meas *Chronicon Pauli Piasecij* ex Polona gente, Episcopi Præmisliensis, qui novam quandam sententiam de *Czechi & Lechi* adventu aut commentus est ipse, aut ab alijs inventam Chronico suo inseruit; docet ergo *Piasecius*: *Lechum & Czechum* nullas colonias novas, in hasce oras (quas nunc Slavicæ gentes, *Bohemi, Poloni &c.* incolunt) adduxisse, sed cùm sæpe *Germanis* adversus Romanos suppetias tulissent, novissimè in clade *Quintilij Vari*, inter Auxiliares Germanorum sub *Sarmatarum* nomine comprehensos, duas *Romanas Aquilas* (signa Romana *Piasecius* intelligit) intercepisse, & *Albam* quidem Aquilam *Lecho*, *nigram Czecho* obtigisse; venisse igitur ad populares suos *Czechum & Lechum* gloriâ plenos, ac *Sarmatarum & Slavorum* communi appellatione relictâ, bellicæ virtutis gratiâ *Czechos* se & *Lechos* (seu Czechitas & Lechitas) qui prælio interfuerint, & *Romanas Legiones* prostraverint, appellari voluisse. Porrò jam pridem ante hæc tempora, *Sarmatas* ex finibus suis egressos, superato in Dacia *Istro*, per *Mæsiam*, *Thraciam*, *Illyriam* diffusos, ibidem veteribus incolis commixtos (qui fortè à primis sæculis eodem idiomate, & habitu utebantur, & eâdem gente prognati erant, qui & sub *Alexandro Magno* olim militaverant) consedisse, & magnum *Romanis* negotium facessivisse: *bella*, inquit *Piasecius*, *& clades Romanorum, à Sarmaticis gentibus in Thracia, Pannonia, Dalmatia, Illyrico illatæ, legi possunt in Ammiano, Vopisco, & Blondo. Ad hoc facit quod Tacitus narrat: à Roxolanis Sarmaticâ gente in Mæsia cohortes Romanas, proximâ post Neronis mortem hieme, cæsas, & sub Ottone prælia cum ijs commissa fuisse, quódque Eutropius habet: sub Domitiano in Sarmatia ejusdem Imperatoris Ducem,*

Piasecius in Chron. suor. tempor: init. f. 55.

Piasecij nova sententia de Czechi advẽtu.

Ammian. l. 17. Vopiscus in Aureliano. Blond: Dec: 1. Tacit. l. 1. hist.

Eutrop. l. 7.

& Legionem deletam periisse, & in Dacia seu Mæsia Sabinum, & Cornelium Fuscum cum suis copiis, ab eisdem oppressos fuisse, quod etiam Svetonius commemorat. hæc Piasecius. ex quibus colligitur I. *Piasectum* existimare longè ante Christum natum *Sarmaticas* gentes in *Thracia, Mæsia & Illyrico* habitâsse, ac proinde fieri potuit, ut *Czechus & Lechus* inde orti, in *Bohemiam & Poloniam* ad populares suos advenerint. II. *Czechi & Lechi* in has oras adventum post A.C. 12. contigisse existimat, cùm enim eo anno, *Quintilij Vari & Legionum Romanarum* clades, & cædes patrata sit, necessariò cogitur *Piasecius, Polonicæ & Bohemicæ* gentis originem, ad illud tempus referre. Huic sententiæ *Piasecij* aliquam authoritatem ex *Cromero* adjicere possumus, qui dubitâsse videtur, an in *prima* (jam ante Christum natum) an in *secunda* (circa A.C. 300.) *Slavorum* migratione, an in *tertia* post *Attilæ* tempora (de quibus capite sexto & septimo) *Czechorum & Polonorum* appellatio cœperit, illud enim statuit: non statim cum *Czecho Czechorum*, & cum *Lecho Lechorum* (quæ recentiora esse videntur) nomina extitisse, sed posteriore aliquo tempore *Czechitas & Lechitas* (quòd primi fortè apud eos *Czechus & Lechus* regnârint, cùm antè, ùt cæteri Slavi apud Procopium, *plebejâ, communiq; libertate viverent*) appellari cœpisse.

Sveton. in Domitiano.

Baron: in Annal. Eccl. A.C. 13.

Procop. 3. de bello G...

CAPUT IX.

Accumulantur Authores de ætate Czechi.

Pauli Diaconi authoritas diligenter attendenda, quæ esse debet pro Cynosura. Sabini de re tota sententia adducitur. Nostra conjectura, in quam plerique Authores inclinant. Grande aliquod meritum Czechi & Lechi in has gentes. Æneas Silvius refellitur.

CUperem ego hoc loco Lectoris mei sensum intelligere, quid verisimile existimet, aut cui sese parti velit addicere. jam ex optimis Scriptoribus magnum sine dubio ad causam præjudicium fecimus; exorietur aliquis sine dubio nostris ex ossibus, qui majoribus præsidijs instructus, rem totam ad liquidum adducet, tandémq; malè conciliatam litem definiet. Nihil ego certè unquam legi in *Bohemiæ Chronologia* controversum magis: *Lazius & Rhenanus* annum adventûs *Czechi* posuerunt vel sub *Mauritio* (600.) vel sub *Heraclio*, qui regnare cœpit An. 611. *Chytræus & Blondus* posuêre Annum C. 600. *Welserus* ævum *Attilæ* qui obijt 455. *Hagecius* 644. *Cuthenus* 639. *Sethus Calvisius* 645. *Cario* 450. *Spangenberg* 451. *Joannes Mathias à Sudetis* 407. vel 457. *Reusnerus* 496. *Vapovius* 550. Audacter nimis litem hanc definire ausus est nobis Dictator unicus *Theobaldus*: A. inquit, 644. *Constante Orientis Imperatore, Rothario Longobardorum & Dagoberto Gallorum Rege, sub Theodoro Pontifice Romano,* XV. die Julij (unde istud quæso?) *Czechus & Lechus cum fratribus suis sex (ut habet Pulkava, & Boleslaviense Chronicon) cum multitudine Heneta sexcentorum numero in Bohemiam advenit &c.* ab his annis longissimè discesserunt *Codicillus & Weleslavinus* qui An. C. 278. adventûs *Czechi* probabiliter posuerunt. *Piasecius* adhuc

Chronologia Czechi incerta.

Theobal. in Hussitic... & l. de ... alog. ... chronolog. ... Boh.

huc maturiùs (ut antè dixi) post An: C. 12. cùm in clade *Quintilij Vari Czecho & Lecho Sarmatis*, qui erant inter auxilia Germanorum, duæ Aquilæ Romanæ captæ (nigra & alba) obtigissent. Ego neminem hoc loco refello, illud modò obiter adjicio: quicunque post annum 500. *Czechum* advenisse scripserunt, ex *Paulo Diacono* à Welsero refutari, qui jam A. 595. magnam fuisse *Zechorum nationem* & vicinis formidabilem scripsit (ùt infrà dicemus) excrescere autem nationem in peregrino solo, ut Exercitus scribere & ipsa metui possit, sine dubio non unam ætatem, sed fortasse etiam plura sæcula requirit. Unde optimè *Carrio: Ego*, inquit, *existimo Henetos etiam ante Gothica tempora mixtos fuisse Gentibus Teutonicis. Georgius Sabinus* Poëta nobilis, idémque Historiæ omnis scientissimus de *Gentis Polonæ* (quæ fraterna Bohemis est) *Originibus* scribens, plurima paucis perstringit, quæ ad controversiam finiendam faciunt, cujus verba hoc loco adferre magnum operæ pretium existimo: *Non dubium est Polonos Henetam gentem esse, quæ & in Asia, vicina fuit genti omnium laudatissimæ Jonicæ, & postea Duce Antenore, in Europam ducta, propinquas Græciæ sedes in Illyrico occupavit, ac tenet etiamnum ad hoc tempus post bellum Trojanum annos circiter bis mille sexcentos. Inde progressi ad Septentrionem omnia ad Istulam compleverunt. Nec de Henetis obscura sequor indicia: Gentium origines præcipuè appellationibus, & linguâ indicantur; quos verò hodie dicunt Venetos seu Venedos, hos esse Henedos ostendunt appellatio, & locus: nam Henedos in Illyrico, ubi manet appellatio Venedorum, consedisse affirmat Herodotus; deinde linguam Polonorum congruere cum Illyrica manifestum est, & cæterarum Urbium appellationes cognationem cum Polonis ostendunt. Cùm autem in Asia Genti Jonicæ, quæ sine ulla dubitatione omnibus nationibus toto orbe terrarum omni civili cultu antecelluit, admixti fuerint Heneti, & passim in Europa Græcus, consentaneum est & propter cæli ac Regionum temperiem & consvetudinem humanæ vitæ idoneos ad Virtutem semper fuisse &c. Sæpe ego Scriptoribus illis succenseo, qui nec nomen Henetum, nec lingvam considerantes, fingunt recens effusam esse vestram gentem ex horrida aliqua Septentrionis regione. Illud enim verius est: Vos & Joniæ, & Græciæ genti vicinos, progressos ex Illyrico ad Carpathum, bonam Germaniæ partem* (Bohemiam, & inde usquè ad Oceanum terrarum tractus intelligit) *quondam occupasse, repressis ad ortum & Septentrionem barbaris, qui hæc loca mitiora appetebant. Inde Venedicus Sinus, in quem Istula influit, nominatus est. Hanc meam de vestræ gentis origine narrationem, video veram, & perspicuis testimonijs confirmari posse.* Multa profectò paucis complexus est *Sabinus*, eáque scitu dignissima. Si quis quid ego sentiam, in re tam difficili & intricata, ac insuper defectu Veterum Monimentorum incerta, scire, velit, huic ego animi mei sensum candidè aperio: procliviorem esse me in *Codicilli* ac *Weleslavini* hominum nostrorum sententiam, sed majorem me in ijs Scriptorum authoritatem, præcipuè *Veterum* desiderare; quamvis aliqui non desint in tam densis sæculorum barbarorum tenebris, & tam multiplicibus & inexplicabilibus tot & tam variorum sibique succedentium Populorum migrationibus, quæ *Wolfgango Lazio* viro pererudito ingens confecère volumen; utinam *Lazius*, qui sibi solas gentium Teutonicarum migrationes propositas habuit, *Venedicarum* quoque & *Slavicarum* gentium profectiones, & colonias utro citróque à *Slavorum* populis ductas prosequi voluisset, profectò volumen suum plurimum locupletasset, omnésque sibi hujus lingvæ populos non parum obstrinxisset! *Weleslavino & Cromerus & Velserus* (ut ex eorum Monimentis

Sententia nostra de Czechi adventu.

mentis apparet) non multum adversantur: quippe ut certum statuunt, à *Czecho & Lecho Polonorum & Bohemorum* primordia sumsisse, de tempore quo id acciderit, dubitare videntur. *Welserus* temporis rationem, ait, esse in controversia, *Cromerus* quoq; postquam diu fluctuasset ultimis primi libri Capitibus, eámque anxietatem suam manifestè prodidisset, tandem Librum concludens, *utroq;*, ait *tempore* (seu primo illo ante 300. Christi annum, seu postea sub *Attila*, vel paulò post *Attilæ* regnum) *Slavi & Venedi, Sarmatiam, Vandaliam* (terras intelligit quas deseruêre *Vandali*, ut Cap: X. probaverat) *Dalmatiam, Illyricum, Pannoniam, & intermedias Jazygum, Dacarúmque oras ditione tenuerunt*; quibus verbis innuere voluit, quocunque tempore dixeris *Czechum & Lechum* ex regionibus illis advenisse, perinde sibi futurum, atque id contingere potuisse. Eadem est de *Piasecij* sententia, ratio: optarem Authores laudasset, qui in clade *Variana Czechum & Lechum* adfuisse, & *Romanas Aquilas duas legionum* eripuisse testarentur; deinde, fateor, in Romanorum signis, *Aquilas, Dracones*, aliáque similia picta volitasse, at ipsa apud *Romanos Legionis Aquila*, priùs *argentea*, postea (luxu etiam in militia crescente) *aurea* fuit (non *alba*, aut *nigra*) modicâ magnitudine, ut *Dio Cassius* describit, quæ summæ hastæ insistebat expansis alis, pede fulmen aureum tenens; sed ad postremum hoc quod objicitur facilè respondere potest *Piasecius*: non tantùm *Aquilas*, sed etiam ipsa *signa Romana* in prælio illo erepta fuisse Romanis. *Flori* verba sunt de clade ista loquentis: *Signa & Aquilas duas adhuc Barbari possident; tertiam signifer priùs quàm in hostium manus veniret, evulsit, mersámq; intra balthei sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit.* Exiguam hanc animadversionem adjicio: potuit fateor, *Czechus* in secunda illa *Venedorum* in has terras immigratione circa Annum Christi 300. cum populo, in *Bojohemum* advenire (ut sentiunt *Weleslavinus, & Petrus Codicillus*) potuit etiam, ut *Piasecius* putavit An. C. 12. *Czech & Lech* post *Vari* cædem, hîc sibi ac suis commilitonibus sedé statuere; at cùm de *Czechis & Lechis* altissimum sit apud eorum temporum Scriptores silentium, cúmque adhuc eo tempore *Bojorum & Marcomannorum*, quasi in his terris commorantium nomen legatur, existimo *Czechi & Lechi* adventum inter A. C. 400. & 454. verisimiliter (dum certiùs aliquid adferatur) ac etiam probabiliùs collocari. Observandum & illud est: grande necessariò meritum in *Slavicas* gentes (quæ postea per *Bohemiam, Poloniam*, tótque latè provincias sese effuderunt) fratrum istorum *Czechi ac Lechi* præcessisse, ut abolito, seu *Vendorum* seu *Sarmatarum*, seu *Slavorum*, aut quocunque alio nomine, *Czechitas* se, aut *Lechitas*, non aliter, appellari voluerint; id amori ipsorum Ducum, mitissimè, summâ populi voluntate regnantium, aut quòd commodè ingentia auxilia adversus vicinos *Germanos* genti suæ attulerint, aut quòd lectissimâ nobilitate (id enim etiam traditum legimus) stipati advenerint, & *Bohemiam & Poloniam* generosâ illa sobole (quod alibi probabimus) impleverint, aut quòd *Patriam* ab hostibus purgârint, aliòve nomine bene mereri de patria studuerint, tributum existimo. *Silvius* non satis probabili invento: *Czechum*, quòd primus *Bohemiæ* incolas arare, & terram colere docuerit, *Principem* à populo nominatum scripsit. An credibile est, quod omnes tum populi, vicini æquè ac remoti nôrant, Terram ad segetes præparare, id *Bohemos* ignorâsse, & nisi à *Czecho* docerentur, etiam *Pane* cariturós?

Superest ultima, eáque ut antè dixi, non tam difficilis, quàm incerta quæstio; an revera è *Croatia* per *Pannoniam*, ac *Moraviam*; an rectâ è *Sarmatia*

de Aquila Romana Alex. ab Alex. l. 2. C. 2. Lips. in Tacit. & de Militia Rom.

Dio Cass. l. 40. & 43.

Flor. l. 4. Epitom. C. 12.

Czechi & Lechi in[...] de meritum in Gentes Slavorum.

Silv. in Hist. Boh. init.

An Czechus & Lechus ex Illyrico, an ex Sarmatia advenerint.

matia per Getas, Dacas, Mysos, an aliunde ex *Wandalorum* ſedibus occupatis, *Czechus & Lechus* prodierint? *Sabellicus* diſertè ſcribit, in ſecunda *Slavorum* migratione, *Slavos à Cimmerio Bosphoro per Tanain & Mæotidem paludem* (ut etiam *Vadiano & Decio* adductis *Goldaſtus* exiſtimat) bipartitò digreſſos, partem unam ad dextram deflexiſſe, ſciſsámque eſſe in duos populos, *Bohemos & Polonos*, alteram transmiſſo *Danubio*, ſecundùm *Savum* amnem ad *Dalmatiam* uſquè ſedes tenuiſſe, nihil mutato nomine; *Blondus* verò, & *Crantzius* tradunt: *Slavos è Polonia* demum, & *Bohemiâ* profectos, Orientales illas Romani Imperij Provincias invaſiſſe. Ego non magnopere pugnabo, modò ſuum *Czecho & Lecho* advenientibus tempus tribuatur de totius antiquitatis conſenſu. *Dreſſerus* Slavos *Illyricum*, & mari *Adriatico* propinquas oras, *Juſtiniano & Mauritio* imperantibus invaſiſſe tradit. Congruit *Rhenanus*, aitque (ſed tempus non addit) *Slavos* cùm finitimis ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratiæ, tandem populariter tranſeuntes in *Illyrico* conſediſſe, & ex his partem aliquam deinde *Bohemiam*, & regionem proximam, quàm à fluvio *Maravaha Maravaniam* appellant, occupâſſe; nam *Marcomanni* cum *Hermunduris* jam pridem in *Noricum & Vindeliciam* tranſierant. Citatur in hanc ſententiam & *Suidas*. Idem ſenſiſſe poſtea videtur *Bonfinius*, cùm *Slavoniam Ungaricam*, *Bohemorum Coloniam* appellat. Clariùs id expreſſit alio loco: *Slavi*, inquit, *è regionibus tranſiſtrianis* (Bonfinio ſcribenti *trans*, nobis *cis Danubium*, ex noſtra videlicet ripa) *promanarunt, atque Iſtriam, & Dalmatiam occuparunt, eámq; à ſe Slavoniam dixêre. Primas ſedes* (pergit Bonfinius) *trans Danubium non relinquêre: ex quibus Bohemi, Poloni, Amaxobij, ſive Rutheni, & Roxolani adhuc permanent.* Videat Lector *Bonfinium* clarè docere, conſtitutâ jam *Bohemiâ* in his noſtris ſedibus, *Bohemos* noſtros coloniam duxiſſe, & *Slavoniam Provinciam* fundâſſe, ac populo impleviſſe. Idem, ut antè dixi, habet *Crantzius*, & *Blondus*, & *Ungarici* plerique Scriptores, ac ferè omnes, qui de *Slavonia* egerunt, ipſique incolæ ex Majorum traditione à *Bohemis* ſe ortos gloriantur. *Besoldus* id factum eſſe putat An. C. 526. citátque in eam rem *Sabellicum*; at *Sabellicus de ſecundo* in has oras *Slavorum* adventu loquitur, non de *colonia Bohemorum*. *Crantzius* Annum ponit 583. quo Bohemi in *Dalmatiam è Bohemia* tranſierint. Chronicon Mundi incerti Authoris An. C. 1492. Noribergæ Typis expreſſum de *Dalmatis* agens, diſertè adjicit: *Slavos Dalmaticos è Bohemis ortos eſſe;* annus quo id geſtum ſit, non additur. *Bollandus* noſter Vir omnis hiſtoriæ ſacræ ac profanæ ſcientiſſimus ex *Procopio & Fredegario* demonſtrat apertiſſimè: Slavos An. C. 547. & ſequentibus, *tranſito Danubio* inter alias Provincias *Carinthiam* quoque obtinuiſſe, diúq; ſine Rege fuiſſe, gravi deinde ab *Hunnis* ſervitute oppreſſos, Regem ſibi elegiſſe *Samonem* natione Francum, cujus induſtriâ libertatem recuperârint. Electum eſſe *Samonem* An. C. 623. regnaſſe Annis 35. hiſce Slavorum gentibus *S. Amandum* Epiſcopum Trajectenſem Evangelium Chriſti prædicâſſe. Similia habet idem *Bollandus* in vita S. *Domitiani* Slavorum Ducis ac Martyris ad 5. Februarij, docétque à *Slavis Venedis* regnante *Dagoberto*, *Francos* eſſe repulſos circa An. C. 637. contrà quàm *Aventinus*, *Lazius & Megizerus* tradiderant, videlicet: *Slavos* cum *Semone* Rege à *Dagoberto* ſuperatos, & ſervitio ſubactos eſſe, quod verum non fuit. Ex his quæ *Bollandus* adducit, & invictis argumentis comprobat, habemus: *Slavorum & Czechi* in has oras adventum, longè ante annum Chriſti 600. imò ſi ſpectetur ratio, etiam ante 500. & 400. ponen-

[Sab]ellicus Enn. de 8. l. 2. et [de] vetuſtat. A[qui]leiæ l. 4. fin. [Go]ldaſt. l. 4. de [Bo]h. C. 9.

B[lon]d. hiſt. D. 1. l. 1. C[ra]ntz. in Wād[a]l. 2. B[eso]ld. in Synop. hiſt. univ.

D[reſſer]. P. 5. Iſa[go]g. hiſt.

Rh[en]. l. 1. rer. G[er]manicar.

Su[ida]s in Lexico. B[onf]in. hiſt. U[ng]. Dec. 1. lib. 9. init. Id. Dec. 1. l. 8.

B[o]hemi Slavoniā Coloniā d[ux]êre in S[la]voniam.

Beſold. in Synop. hiſt. univ.

Bolland. in Vitis SS. Febr. Tomo I. ad 6. Feb. Comment. prævio §. 9.

Adventus Slavorum in Bohemiā prius quàm cæteri ſtatuant, ponendus.

ponendum esse. Quâ enim ratione *Novus* & recens tum *Slavorum* Populus ex *Bohemia* & sedibus hisce transdanubianis in *Slavoniam*, *Carinthiam*, *in Dalmatiam* & reliquum *Illyricum* tam numerosos exercitus, & tot colonias suorum emittere potuisset? consulatur *Epitome* nostra *historica*, in qua hanc dubiam, & multum controversam quæstionem ventilavimus & quid verisimile videretur ex authoritate optimorum Scriptorum statuimus; aliqua etiam ad hanc quæstionem facientia, seqventibus Capitibus adferentur.

CAPUT X.

Wandalorum migrationes brevissimè percensentur. Wandalorum gesta Czechorum genti nullâ ratione possunt adscribi. Wandali nunquam habitârunt in Bohemia. Eorum sedes, quas postea Slavorum populi occupârunt.

Wandali quamdiu regnârint, & ubi.

Wandalorum Gens quàm fortis, tam barbara, maximis rebus in Evropa bello gestis, postquâ diu *Orientale & Occidentale* Imperium fatigasset, & rem Catholicam in summum discrimen adduxisset (propterea quòd Gens universa *Arij* impietatem sequeretur) tandem in *Africa* (in quâ ex *Hispania* An. 428. transgressa fuit) Annos præterpropter 95. in Ecclesias debacchata, etiam ipsa, ut omnia Regna cætera, fatali temporum periodo, & lege urgente concidit, victo *Gilimere Wandalorum* Rege, quem *Belisarius* Vir præstantissimus à se captum in triumpho An. 534. *Constantinopoli* duxit, ut *Procopius*, qui interfuit, narrat. Legantur & alij, qui de rebus *Wandalorum* scripsêre, eâque ætate vixêre, ut *Victor Uticensis*, *Salvianus Massiliensis Episcopus*, *S. Prosper*, *Zosimus*, *Orosius*, *Cassiodorus*, & alij antiqui, noviq; Scriptores, *Lazius*, *Baronius*, plurésque alij. Hanc *Wandalorum* gentem à *Slavis* Bohæmiæ incolis, verbo *Czechis & Lechis* toto cælo lingvâ & moribus truculentis diversam (quod nullus unquam Authorum prioris ævi somniârat, & nos antea, nè fando quidem audieramus) Nuperus quidam Scriptor *Bohemiæ* conjungere tentavit, etiam Chimærâ in nomine ipso inventâ & excogitatâ, ut posthac *Vandalobohemi* dicamur. *Wandalos* igitur in *Bohemiam* nescio quando venisse, & pulsis *Marcomannis* gentem maximam fundasse affirmat. Ajo: etsi *Wandali*, *Slavica* gens fuisset, (quod, ùt brevì dicam, falsò asseritur) tamen nè unum quidem vetusti, & probati Scriptoris testimonium proferri posse puto, quo *Wandalos* intrasse, & incoluisse *Bohemiam* demonstretur. Peto mihi tempus quo id contigerit, consignari! unicus atque is non antiquus Scriptor ex nostris, superiore sæculo, *Cuthenus* in C. I. historiæ Bohemorum Æneæ Silvij, postquam narrasset: *Marobodo* Ravennæ detento, populum ejus (*Marcomannos*) vexatos à vicinis, qui regionem eorum occupârint, subjicit: *Wandalos quoque circa An. C. 368. & 480. in hac terra consedisse, ac propagatos fuisse*, addit tamen continuò *Cuthenus*: *errant verò qui nos à Wandalis ortos putant: nam ij Germani fuerunt, & diversi sunt lingvâ*: idem *Cuthenus* initio Capitis docet: Regem Octavum à *Tuiscone* (à quo *Tevtones* dicti sint *Tuitzen*) *Wandalum* appellatum,

Wandali nunquam incoluêre Bohemiam.

tum, à quo *Wandali* nomen acceperint. Equidem fateor *Wandalos* eas tenuiſſe ſedes ad fontes *Viſtulæ*, quas poſteà (*Wandalis* in *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Africam & Italiam* migrantibus) *Slavorum* populi obtinuerint; at id in *Bohemia* factum, & *Wandalos* apud nos habitâſſe nego, pernegóque. *Jornandes* vetus Author libro de *Bello Getico* memoriæ prodidit: *Wandalos* ea loca tenuiſſe, quæ ab *Oriente* quidem *Gothos* (quos tum in *Dacia* habitâſſe ſcribit) ab *Occidente Marcomannos*, *à Septentrione Hermunduros*, *à Meridie Danubium* finitimum habuerint.

[V]andali u[...] locorum [ha]bitârint.

Conferat oro Lector, hodiernum *Bohemiæ* noſtræ ſitum, & videbit, Solis ipſius teſtimonio, *Marcomannos*, (qui tum magnam Moraviæ, Bohemiæ & aliquam Auſtriæ partem cis Danubium implebant, ùt nuper dixi) Marcomannos inquam, & qui eis ſucceſsêre *Moravos*, non occidentales nobis, ſed prorſus *Orientales* eſſe. *Goldaſtum* audiamus: *Wandali fuêre Germani, & habitârunt in inferiore Saxonia & Polonia: Welſerus, Cromerus, Theobaldus, Meibomius, Sudetis.* hucuſquè Goldaſtus, ſed falsò citatis Authoribus, qui *inferiorem Saxoniam* nunquam nominârunt. *Voburgius* diligentiſſimus Germanicæ Antiquitatis Indagator, poſtquam *Wandalos* ſeu *Vandilos*, Germanorum populos fuiſſe probâſſet, duplicem *Vandalorum* ſedem oſtendit, primam circa *Viſtulam* flumen; poſtea promovêre ſeſe, ùt cœteræ gentes *Vandali*, & ad *Danubium*, vel non longè ab eo, conſedêre. *Cromerus* ait: *Wandalos* cùm è *Scania*, ſive è *Mari Balthico*, ſive aliunde, ad *Mæotin* paludem priùs veniſſent, inde versùs meridiem, & Occidentem profectos, inter Sarmaticos Montes & *Iſtrum*, ſeu *Danubium in Jazygum Metanaſtarum* finibus, & in *Pannonia* conſediſſe. Sed neque hìc inquietiſſima, & ſemel natalibus locis mota Natio, diu quieſcere potuit: collectâ enim universâ ſuorum multitudine, conjugibus, & parvis liberis, ſuperato *Rheno*, A. C. 406. pridie Calend. Januarij, partem *Galliarum*, & *Rhætiam* ſupra *Lycum* occupavit, indéque in *Galliam & Hiſpaniam*, deinde in *Africam & Italiam* commigravit; quod *Procopij* (qui de bellis Wandalicis eodem tempore ſcripſit) *Jornandis & Blondi* apertiſſimis teſtimonijs *Cromerus* evincit. *Dalecampius* in Plinium ad caput Viſtulæ *Vandalos* habitaſſe annotavit; *Antonius* quoque *Bonfinius*, etſi *Wandalos Slavos* eſſe falsò putârit, eos tamen cum pleriſque alijs, ab ortu *Viſtulæ* fluminis, quà in Aquilonem vergit, per immenſa ſpatia olim diffuſos fuiſſe teſtatur; quâ igitur ratione *Bohemiam* inhabitâſſe dici poſſunt, *Bohemia* certè *Viſtulæ* ejúsque fonti, non *Aquilonaris*, ſed prorſus *Occidentalis* eſt, Aquilonares verò *Hermunduri*, ad quos in Septentrionem *Wandali* porrexêre ſeſe, ùt modò ex *Procopio* dicebamus; atq; inde factum exiſtimo, ut *Albim* fluvium, quem *Tacitus* apud *Hermunduros* oriri ſcripſerat, *Dio Caſſius* ex *Wandalicis montibus* dixerit oriri, quòd videlicet in utriusque gentis limitibus naſceretur.

[Gol]daſt. l. 1. [de] Boh. C. 9.

[Vo]burg. ad A. [C.] 180.

[Cro]mer. l. 1. [de] Pol. C. 5.

[Pro]cop. lib. duo [...] de bello Vă[ndal]ico.

[Vic]tor Uticen[sis d]e perſecut. [Va]ndalica.

[...]viă. in lib. [de] Provident:

[P]roſper in [Ch]ronico l. 6.

[Or]oſi: in hiſt.

[...]io: in Epiſt.

Lazius l 8.
Baron. in Annal. Ecc.
Dalecamp. in l. 4. Pliniј C. 14.
Bonfin. Dec. 1. l. 1.
Lazius l. cit.

Adde quòd *Chronologia* ipſa, & temporum ratio, quæ omnis hiſtoriæ purum & *virgo ſolum* (ùt ita loquar) cenſetur, huic *Wandalorum* in Bohemia commorationi repugnet: quo enim anno *Wandalos Bohemiam* ingreſſos à *Mæotide* illâ palude faciemus? ante Chriſtum dicere nô poſſumus, *Boijs* (à quibus *Bojemiæ* nomen) omnia occupantibus, *Tacito* ſilente, & omnibus qui de *Boijs* egerunt; at neq; poſtea: nã paulò poſt Chriſtum in terris natum *Marobodus Bojemiam* (non Wandaliam) *Marcomannis* popularibus ſuis implevit, ùt ex *Tacito* patet, Romanis imperante *Tiberio*; deinde *Bojemiam Marcomanni*, ùt ſuperiori Capite oſtendi, & ex *Zoſimo*, *Victore*, *Trebellio*, *Vopiſco*, *Ammiano*, *Paulino*, ac cæteris liquet, ultra annum à Chriſto nato 260. cum *Boijs*, aut ſine illis (utrum velimus, non

Wandali nunquam Bohemiam ingreſſi.

Brunnero.
Velſero.
Adelsreit: &c.

Zoſimus l. 1.
Chron.
Epitom. Treb:
Vopiſcus in Aureliano.
Victor &c.
Ammian. l. 29. hiſt.

non refert) tenuêre. Si post hæc tempora venisse dixeris, victus es, neq; tempus invenies. Constat enim circa annum *Christi* 336. *Vandalos* degentes ad caput *Vistulæ* sedibus suis à *Gothis* depulsos, *Constantini Imperatoris* in Oriente permissu, *Pannoniam* intrâsse, eámque annis fermè quadraginta, aut 60. (rectiùs 70. ùt patet ex *Baronio*) inhabitâsse. Inde vocatos à *Stilicone* Magistro Equitum Consulari, Patricióque Viro in *Gallias*, atque inde in *Hispaniam & Africam* immigrâsse. Ita *Antonius Bonfinius*, & in Chronologia Ungariæ *Joannes Heroldius*, in historia Poloniæ *Cromerus*, & vetustissimi Authores *Jornandes & Procopius* (qui disertè *Vandalos Germanos* & ex *gente Gothica* ortos affirmat) aliíque innumeri. De *Wandalorum in Galliam* incursione audiamus *Baronium*, invictâ Scriptorum ejus temporis authoritate munitum: *Hoc ipso Anno* (videlicet 406.) *Wandalos & Alanos transito Rheno Gallias invasisse & deprædatos esse S. Prosper horum malorum inspector tradit in Chronico, Cassiodorus, atq; etiam Zosimus, qui ijsdem Wandalis permixtos fuisse Svevos tradit. Porrò omnes has barbaras gentes proditione Stilichonis ex Wandalis ducentis originem, accitas esse & immissas in Gallias Orosius horum temporum Scriptor disertis verbis affirmat.* hæc *Baronius.* Quando igitur *Wandali Bohemiam* nostram ingressi sunt, dic sodes, quisquis tibi *Wandalos in Bohemia* confingis, & ex *Wandalis Bohemos*, ex *Bohemis Wandalos* conaris efficere? *dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem!* sæculum (si annum nô potes) nomina! hîc hæret, & hærebit quisquis est! & malè historiam sine authoritate, solis conjecturis scribi necesse est, serò tandem fateatur.

Bonfin. Dec. 1. lib. 2, Herold. in Chronologia Ungariæ. Jornand. de bello getico. Procop. de bel. Wandalico. Crom. l. 1. C. 5.

Baron. Tomo V. Annal. Ecc. A. C. 406.

Zosimus l. Oros. l. 7. 38.

CAPUT XI.

Gravissimis Authorum maximorum testimonijs particulatim ostenditur: Wandalos Germanicam gentem fuisse, & Germanicâ usos linguâ. Gothorum gentes Religionem Christianam amplexæ, demum Arrianismo corrumpuntur.

Wandali Germanicè locuti.

AD alterum quod proposueramus dicere: utrúmne *Wandali Slavica* natio (ùt quidam volunt) an contrà *Germanica* fuerit, & an *Slavico* sermone sit usa, veniamus; nam si constet, probatúmque fuerit, *Wandalos Teutonicè* locutos, consequens erit, *Slavorum* populos ab ijs descendere non potuisse. Quæstionem hanc tractavit pridem *Martinus Cromerus* in historia Polonorum, tantâ diligentiâ, támque claris & evidentibus Scriptorum Veterum testimonijs, *Wandalos Germanicam* fuisse gentem ostendit, ut quid responderi ab adversarijs possit, non videam; ex látere tamen, ut sic dicam, velut ex insidijs excursu aliquo petitus est à nupero Scriptore, qui rectâ fronte & acie non ausus concurrere, latera carpsit. Ac primùm authoritatem allegat *Münsteri, Crantzij, Fabricij, Blondi*, qui *Wandalos Wendos & Slavos* nullo discrimine, pro eadem gente semper acceperint. Miror Scriptorem novitium, nunc demum, hisce authoribus paucis, tantum tribuere, qui alioqui omni authoritate contemtâ, adversùs ætates omnes, & integrarum nationum consensum, & memorias à Majoribus traditas, conjecturis pugnat, quas non aliter ferè, quàm imbecillimo ex Nominibus

nibus quibusdam argumento, tuetur; Authoritati inprimis authoritatem, deinde invictas rationes opponam, ut Lectores Romanum illud dicere possint: *hæc pars major, (*imò & sanior & eruditior*) videtur.*

Zosimus l. Oros. l.7. 38.

Authoritas Velseri.

Velseri, Brunneri.

Welserus agmen ducat *Boicæ* historiæ princeps libro quarto disertè affirmans: errâsse *Crantzium*, qui *Slavos*, hoc est (ùt ait ille) *Venedos*, *Wandalos* appellârit. Hæc affirmat historiæ nostræ non ignarus aliquis, sed peritissimus, qui Veterum *Bojemorum* in hac regione Nostra degentium historiam accuratè examinavit, & quinque eruditissimis libris complexus est, in quibus nihil traditum invenias, quod non multiplici Veterum Scriptorum, Romanorum æquè, ac aliorum authoritate & testimonijs confirmet. Eandem sententiam etsi perpaucis expressit doctissimus *Raderus*: *vastabant* (inquit) *hâc tempestate Boicam Slavi seu Venedi, quos ex vulgi errore Wandalos appellabant &c.* Audiamus & *Brunnerum* Virum omnis historiæ scientissimum, totidem propè verbis loquentem: *hac tempestate Slavi Venedi (quos vulgus Scriptorum communem errorem errantium Vandalos appellat) sedibus suis effusi, factâ in Boicam irruptione, &c.* *Cuthenus* quoque patrius Scriptor, qui *Æneæ Silvij* Bohemiam An. C. 1539. Notis quibusdam illustravit, *Octavum à Tuiscone* Germanorum Regem *Wandalum* nominat, à quo nimirum *Wandali Germaniæ* populi nomen acceperint, ùt superiore Capite dixi. Sed majus, ùt reor authoritatis pondus, tum ob vetustatem, tum historiæ omnis ævi scientiam ex *Nicephoro Callisto* sententiæ nostræ accedet. Is ergo in *Historia Ecclesiastica*, quam *Joannes Langus* ex Græco primus in Latinum convertit libro 14. C. 56. sic habet: *Eâ tempestate plurimæ, maximéque Gothicæ Gentes in septentrionali parte ad Istrum passim dispersæ erant. Inter quas præcipuæ quatuor judicio ipsarum celebres fuêre: Gotthi scilicet, Wissegotthi, Gepides & Wandali non aliâ re quàm nominibus solis inter se dissidentes: omnes enim lingvâ unâ, & eodem vivendi instituto utebantur, detestandam Arij doctrinam sequentes; sicuti in historia Valentis commemoravimus. Hi Honorio & Arcadio imperantibus, Danubium transgressi, in finibus Romani Orientalis Imperij consederunt;* pergit postea narrare, sedes singulorum, & quam Imperij partem invaserint: *Gepides quidem, qui in duos populos divisi sunt Longobardos & Avares, oram eam, quæ ad Singidonem, & Sirmium est, incoluêre. Wissegotthi autem Alarico de quo suprà diximus, duce, Romam & Italiam populati, atque in Galliam inde profecti, cùm omnia isthic in potestatem suam redegerunt, tum Constantinum Britanniæ tyrannum occiderunt. Porrò Gotthi, qui antea Pannoniam, eique circumquaque vicina loca occupaverant, Theodosij junioris decimum nonum annum imperantis permissu, in finitima Thraciæ regione habitârunt; atque ubi isthic annos 58. transegêre, Zenone Romanum Imperium administrante atque jubente, Theoderici Principis eorum ductu, transeuntes inde, occidentale Imperium occupârunt. Wandali verò Alanis sibi & Germanis qui Franci dicuntur conjunctis, Gongidisclum Ducem tum habentes, Rhenum transierunt, atq; in Hispania sedes fixerunt, quæ prima ab Hesperio Oceano Europæ regio est &c. Wandali freto transmisso, ex Hispania in Africam venêre, &c.* vide quàm accurata, & quàm diligenter suis divisa, & consignata temporibus narratio ab homine græco, cui genti, eorúmq; Orientalibus Imperatoribus dum adhuc ad *Istrum* sederent *Gothi* (longè antequam Occidentale Imperium proculcâssent) cum ijs gentibus sæpe negotium fuit, quæ bella idem *Nicephorus* libris prioribus, & maximè libro undecimo à C 48. persequitur, & *Cæsar Baronius* integro ferè volumine quinto Ecclesiasticorum Annalium. Quâ ratione autem ad *Christum Gothorum*

Velser. in Bavaria S. in S. Quirino f. 54.

Cuth. in C. I. Sylv.

Brun. Annal. Bojor. l. 5. n. 8.

Nota.

Nicephori Callisti Græci in re nostra authoritas.

Gepidi. Longobardi. Avares.

Wisigothi.

Wandali.

Alani. alij Modogisclum vocant.

Gothi Arriani.

rum gentes jam inde à *Constantini Magni* temporibus accesserint, quâque ratione agente *Ulphilâ* eorum Antistite corrupti, Arij impijssimam sectam, amplexi sint, vide eundem *Nicephorum* libro XI. Capite 48. & hæc ipsa, an de *Gothis* omnibus intelligenda sint, *Baronius* alio in loco prolixè satis explicuit, ostendítque non de universis, sed de aliqua *Gothorum* parte accipi oportere; nam totam gentem pridem Christianam fuisse, multósque ex Gothis pro eadem Religione post An. C. 370. acerbissima supplicia, ipsámque mortem pertulisse (quos Ecclesia colat ùt *Martyres*) luculentè demonstrat. Porrò à *Gothis* societate lingvæ conjunctis, probabile est Christianam religionem *Wandalos* didicisse, illud ex omnibus eorum temporum Scriptoribus constat, docétq; *Baronius*: *Wandalos* cùm per *Germaniam*, *Galliam*, ac cæteras *Europæ* provincias arma circumferrent, jam tum hæreticos & *Arianos* fuisse; ùt etiam *Nicephorus* paulò antè citatus affirmat. Ad propositam principio quæstionem de *Vandalis*, quos *Germanicam Gentem* fuisse asserimus, revertamur: Veteres omnes *Romani Scriptores* nobiscum faciunt: *Tacitus in Germania sua* ipso libri initio Germanæ gentis, seu veras, seu fictas origines à *Tuiscone* & *Manno* filio recensens, *quidam*, inquit, *licentiâ vetustatis plures DEO ortos, plurésque gentis appellationes Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant.* Sequatur Plinius: *Germanorum genera sunt quinque: Vindili, quorum pars Burgundiones &c.* in quem locum *Dalecampius* Vir eruditissimus: *Vindili, seu Wandali à vocabulo germanico* **Wandelen** / *quod peregrinari significat.* In eadem nobiscum sententia *Philippus Cluverius* Geographus ætate nostrâ præstantissimus fuit, qui inter Germaniæ Veteris populos, *Wandalos* nominavit, *Godefridus Viterbiensis* in rem nostram aptissimè narrat: *Vandalos* ad idolum suum *Godam* accessisse, victoriam de *Vinnulis* postulantes, tum subijcit: *unde usque hodie Got Teutonicâ lingvâ dicitur DEUS.* Audiamus etiam *Dresserum* Historiæ Septentrionalis peritissimum, cujus apud me maxima est authoritas (nisi cùm affectu sinistro in Romanam Sedem & Catholicos incitatus in transversum rapitur) ita scribentem: *Vandali Germani populi à* **Wandelen** *hoc est à vagando dicti, olim ad Vistulam in Polonia consederunt. Hi circa A. C. 400. adscitis Svevis ad 300. millia hominum coëgerunt, & transmisso Rheno impressionem in Galliam fecerunt, omnia inflammârunt, & diripuerunt. Inde peragratâ, direptáque Hispaniâ irruerunt in Africam circa Annum Christi 430. eámque in potestatem suam redegerunt: imò ipsam quoq; Carthaginem occupârunt; nec inde expelli sese passi sunt, nisi facto fœdere amicitiæ. at postquam multos annos ibi dominati fuissent, deleti sunt.* Hæc Dresserus. *Wandalos* quoque *Germanos* fuisse non Slavos *Goldastus* ex *Theobaldo Meibomio*, *Joanne Mathia à Sudetis* ostendit, ùt antè dixi.

(✠)

Baron. Tomo IV. ad A. 370.

Idem ad An. 427.

Wandali fuêre Ariani.

Wandali Germani.

Plin. l. 4. hist. nat. C. 14.

Dalec. in Plin.

Cluverius Germ. ant.

Godefrid

Dress. in ... ge hist. p. ...

Gold. l. 1. ... Theobald de Geneal. R. Boh. Meib in ... ad Lewold chronicon Sudetis tr. ... origi. Cz...

CA-

CAPUT XII.

Ex Colonia Wandalorum in Burgundiam deducta probatur: Wandalos Slavicè non esse locutos, ac proinde Bohemis originem non dedisse. Novitij Scriptoris in Wandalorum historia plurimi Errores brevissimè refutantur. Venetiæ non sunt à Wandalis conditæ, sed à Venetis, vel Henetis, neque Vindelici à Wandalis prodière, cùm ipsis Wandalis sint antiquiores. Wandali Christi fidem amplexi, longè antè quàm Bohemi Czechitæ. Plura alia argumenta, ex quibus clarè evincitur Wandalos, nihil ad Bohemos pertinere. Piasecius pro nobis, non adversùs nos facit. Lingvæ multùm tempore immutantur.

SCriptorum gravissimorum testimonijs, quę in ejusmodi *quæstione facti*, ùt vocant, vim maximam obtinere meritò debent, succedant probabiles, ac propè dixerim inexpugnabiles conjecturæ, eæque argumentorum vicem in re procul ab hominum memoria posita occupabunt: affirmant Scriptores uno ore omnes, *Wandalos* (aut potiùs unam aliquam *Wandalorum* partem ad 80. millia) aliquo tempore (sub *Augusto* id factum putat *Bonfinius*) suis sedibus egressos *Burgundiorum Regnum* fundâsse (nam etiam Plinius *Burgundiones Wandalorum* partem affirmat) cúmque extra Urbes & oppida à *Tiberio & Druso* disjecti) citat in eam rem *Tacitum Bonfinius*) vicatim more patrio habitarent, & vicos quos patriâ linguâ *burgos* vocant incolerent, *Burgundiones* ùt ait *Orosius*, dictos esse. Hæc certa sunt, quæ nemo quòd sciam hucusquè vocârit in dubium; at quod ex inde quidam conficiunt: *Wandalos Slavos* fuisse, id tam ridiculum est, ut hoc telo maximè, qui vibrant, vulnerentur. Quæro inprimis quæ lingua vocabulo *Burg* utatur, an *Germanica*, an *Slavica*? Slavicæ omnino insusitata *Burgi* vox est, quam apud *Germanos* audimus quotidie, sedémque apud illos & habitationem significat; hinc tot Urbium Germanicarum vetera, & nova nomina *Augspurg*, *Augustiburgium*, *Strasburg*, *Uraniburgum Tichonis* aliáque innumera, cùm nè unum dare possis à *Slavis* conditum oppidum quod in *burgum* desinat (nam *Nymburgum à Bohemis* conditum & Wicemilow appellatum, cùm *Germani* deinde instaurâssent, *Nimburgum* vocaverunt) ex hac igitur universæ *Burgundiorum* gentis appellatione, quid aliud colligere possis, quàm nationem, quæ nomine *Teutonico* vel à se, vel à vicinis *Svevis & Vandalis* ipsis coloniam ducentibus, appellata sit, *Teutonicam* ipsam etiam fuisse? de *Bojohemis* vel *Boijs* diversa ratio est; neque enim *Czechitæ Slavi*, *Bojorum* Gallici populi colonia sumus, sed *Boijs* aliò migrantibus, vetus *Bojohemorum* nomen (quòd eandem terram nostri Majores occupâssent) retinuimus, atque ita non à nobis, sed à vicinis populis *Bohemorum* nomine appellamur, etsi ipsi nos privatim patriâ voce *Czechos* esse dicamns; illud adjice de *Burgundis*: Nomina omnia veterum *Burgundiorum* prorsus origine & significatione *Germanica* esse, ùt *Sigismundi*, *Gondemari*, ac cætera. quæ nomina nobilissimi Germaniæ Scriptores *Pistorius*, Fre-

Margin notes: ...of. Dec. 1. — ...n. l. cit. — Vandalorum coloniæ sunt Burgundi. — Bojemia vel Bohemia retinet nomen antiquum mutatis cultoribus.

Onomaſticon Veter. Vocum Germ. apud Meib. Freher. Piſtor.

Freherus & Meibomius latinè interpretantur. Scriptor quidam nuperus (Vir nobilitate, ingenio, doctrinâ, dignitate, ſtyli cultu præſtans, mihi dum vita manebat, familiariter ſemper addictus; qua de cauſſa ejus illuſtriſſimum nomen, nè apud rerum imperitos in aliquem contemtum veniat, involvam ſilentio: nam eum ſemper veneratus ſum ùt patrem, & hoc loco ſolius veritatis amore cum omni debita dignitati tantæ modeſtia refutabo) Scriptor inquam, nuperus, poſtquam *Burgundos Coloniam Wandalobohemorum* (ùt loquitur) ſtatuiſſet, addit inſuper: *Wandalos impoſuiſſe nomen in Pomerania fluvio Pani, unde Circipani dicti ſint, Latinis Heruli, Slavorum populi* (ex quibus poſtea *Odoacer Herulorum* Rex, Bohemis *Przemyslus*, Bohemiæ Princeps, *Libuſſæ* noſtræ maritus, Romam An. 476. ſi Dijs placet, occupârit) ab his *Herulis* impoſitum nomen eſſe *Panoniæ* (ſcribit contra omnium Grammaticorum leges *Panoniam* n. ſimplici) deinde *Wandalos* inſediſſe ante Chriſti adventum *Adriaticum* ſinum, & *Venetias* condidiſſe; item *Rhætiam* totam, & inde appellatos eſſe *Vindelicos*; occupâſſe etiam *Britanniam* inſulam ſub nomine *Vitorum*, quaſi dixeris *Venetorum*; ad extremum *Wandalos* affirmat à *Scythis* (quam gentem mirè commendat) prodijſſe. Somnia hiſtorica te legere putes, cùm nullâ Veterum authoritate nitantur, adeóque etſi ea ſilentio tranſmitteremus, nobis præjudicare non poſſent. De *Herulis & Odoacre* dicemus poſtea ex eorum temporum hiſtoricis; *Pannoniam* neque à *Wandalis*, neque ab *Herulis* nomen accepiſſe vel ex eo patet, quòd *Pannoniæ* nomen ipſo *Wandalorum & Herulorum* nomine ſit antiquiꝰ, ac Græcis vetuſtiſſimis & latinis Scriptoribus, ùt ex *Bonfinio* id probante patet, pridem uſitatum ac celebratum; *Venetias* à *Wandalis*, aut *Herulis* conditas, probare difficile eſt, aliam ejus invictæ & Sereniſſimæ Reipublicæ originé adferunt

Errores quidam in hiſtoria Wandalorum novi Scriptoris.

Bonf. Deca: 1. hiſt. Ung. l. 1.

eruditi, & quamvis à *Venedis*, vel *Henetis*, *& Slavica* gente conditas fateantur *Venetias*, nullus tamen, quod ſciam, à *Vandalis* (hoc nomine) *Venetias* eſſe conditas ſcripſit; de *Rhætorũ & Vindelicorum*, ſeu *Vindeliciorum* origine alij diſputent, à *Wandalis* quidem eos proficiſci, nemo eſt qui ſcripſerit, optiméque *Bonfinius* dixit: *ſi alterutrum credendum ſit, potiùs Wandalos à Vindelicis, longè celebratioribus, vetuſtioribúsque populis, quàm Vindelicos à Wandalis denominatos ſe exiſtimaturum*: Porrò *Bojos* ex *Bojohemo* rectâ, aut à *Nariſcis* in *Vindeliciam* progreſſos *Auguſti* temporibus, genti *Bavarorum* ſeu *Bojoariorum* & originem & nomen dediſſe jam antè ex *Velſero & Cluverio* narravi. De *Britannia*, in ea quidem multa Germanicæ lingvæ ſuperſunt veſtigia, at nullum *Slavicæ*; ſed neq; poſtremum illud de *Scythis* probari ulli poterit, quos à Sarmatis prorſus diverſos, & hodie *Tartaros*, vel ùt vult Henelius, *Tataros* eſſe, ſciunt omnes.

Spondan. Annal. Ecclſ. ad A. 37.

Bonfin. 1. decade 1. lib.

Eſt & illud non leve argumentum: *Wandalos* non *Slavicam* gentem, minimeque omnium *Bohemicam* fuiſſe, quòd *Wandali* omnium Scriptorum teſtimonio, cùm ſedibus ſuis egreſſi ſunt, *Chriſtianam fidem* (quamvis *Arianâ* impietate corrupti) jam An: 405. coluerint, imò ante id tempus A. 370. ùt ſuperiùs ex *Nicephoro & Baronio de Gothis* notavi, Chriſto nomen dederint; at *Bohemos* noſtros ea cæleſtis fælicitas longè tardiùs reſpexit, Sanctiſſimis Slavorum Apoſtolis *Cyrillo & Methodio* per *Bulgaros & Moravos* in *Bohemiam* aſcendentibus, quòd ſub *Nicolao I. Adriano II. & Joanne VII.* Pontificibus primùm circa An. C. 860. & 870. contigiſſe, cùm jam in *Africa Wandalorum*, nomen prorſus eſſet extinctum, omnes Sacri, profaniq; Scriptores confirmant.

Wandali Arriani ... corrupti ... ùs quàm ... hemi Chriſtianam ... dem ſuſcepe-perunt.

Quid? an etiam hæc probatio infirma cenſebitur? quòd *Wandalis* nunquam alios *Sarmatarum* populos, ſed *Germanos* ſemper à Scriptoribus eorum temporum adjungi videamus? ubiq;

ubique *Svevos*, *Alanos* cum *Wandalis* leges, aliquando etiam, sed rariùs *Gothos*, quos inter *Germaniæ* populos censos esse aut saltem eâ linguâ usos esse nemo dubitavit: adferamus unum alterúmve exemplum. S. Prosper: *Arcadio VI. & Probo Coss. Wandali & Alani, & ijs permixti Svevi &c.* eadem habet *Cassiodorus*, eadem *Orosius* horum temporum Scriptor, & ùt ait *Baronius*, *homo Hispanus*, *res patrias non ignorans*. Præter *Wandalos*, *Alanos* quoque, nec non *Svevos* in Hispanias ingressos esse *Isidorus* affirmat, ùt est in *Baronio*. Hi verò sic *Hispanias* inter se partiti sunt: *Alani Lusitaniam & Carthaginensem Provinciam*, *Wandali autem cognominati Silingi*, (*Silingos Dresserus* esse dictos putat à *Sala* flumine in *Mœnum* defluente, à quibus *Salingestadium* nuncupatum sit) *Bæticam sortiuntur &c.* inde *Bonfinius* Gothalaniam (hodie Catalauniam) à Gothis & Alanis dictam Hispaniæ Provinciam docet, cui omnes ejus Regionis historiæ subscribunt. Memini olim (neque ea in re falli me puto) dum Annales Hispaniæ legerem, multa me in ijs deprehendisse *Germanicæ* lingvæ vestigia, pluráque *Gothorum & Wandalorum* monumenta vetustam linguam sapere *Germanicam*, sed vel nomina ipsa Regum *Gothicorum & Wandalicorum*, *Genserici*, *Hunnerici*, *Alarici*, *Gilderici*, *Gundarici*, *Gundamundi*, *&c.* quod diximus, luce meridianâ clariùs demonstrant; quæ nomina *Germani* Scriptores, ùt paulò antè dixi, interpretantur, & *Germanica* esse nemo sanus unquam dubitavit. Ac si unum aliquod Regis nomen tantùm adferri posset, diceremus forsitan assumsisse *Wandalos & Gothos* nomina ab *Germanis*, notâ tum & æquè *Septentrionali* quondam gente, at cùm nomina Regum & privatorum omnia, nil nisi Germanicum sonent, & unâ illâ tantùm linguâ aliquid significent, quis erit, obsecro, cui vehemens statim suspicio non oriatur (præsertim tantos authores sequenti) *Wandalos*, *Gothos*, *Alanos*, *Germaniæ* populos *Germanicâ* etiam lingvâ usos fuisse? plures in hanc sententiam, qui *Wandalos Germanicam* gentem adstruant, optimos, vetustáque & probæ notæ Scriptores adducit *Cromerus*, ùt *Eutropium*, *Paulum Diaconum*, *Procopium*, quémque ego nuper laudavi *Corn: Tacitum*; at ego *Cromerum* describere nolui, ea sola adfero argumenta, quæ ab illo video prætermissa. *Piasecius* Polonus Scriptor in *Chronico* suorum temporum commemorat, se summâ diligentiâ usum, operam præstante Illustri viro *Andreâ Makovio Sigismundi Poloniæ Regis in Hispania Legato*, ut monumenta *Wandalorum & Gothorum*, quæ in *Hispania* superessent, colligerentur, eo fine, utrum aliquid *Svedicæ* lingvæ in ijs vestigium deprehendi posset, ac nihil esse omnino deprehensum quod cum lingva *Svecorum* congrueret, istud inquam non contra nos, sed pro nobis facit; quippe *Piasecius* lingvam *Wandalicam & Gothicam* non congruere *Svedicæ*, conatur ostendere, de *Germanica* nihil dicit. at nos nihil de *Svedica* vel *Svecica* lingva quæ longè diversa à *Germanica* est, dicimus; illud tantùm ex optimis Scriptoribus jam ostendimus: *Wandalos* Germaniæ populum fuisse, & *Slavicè* non esse locutos, neque cum *Bohemis* quidquam habuisse commune; & quanquam id *Piasecius* diceret, tamen ex *Cromero* gentili suo, quid verum & verisimile sit, facilè posset doceri. Deinde mirum nulli esse debet, si ætatibus & longissimi temporis tractu vel eædem lingvæ mutentur; clarum id esse potest, vel ex *Germanica* lingva, quæ sic tempore immutata est, ut literas ante 400. vel 600. annos *germanicè* scriptas ægrè intelligere possis; adde quòd *Gothi & Vandali* procul à natali sede in *Hispania & Africa* versantes, nullum cum prima patria in *Septentrionibus* commercium habuerint, & cùm jam immigrâssent ad *Mæotin*

[Go]this Baro[nius] apud Spō[nd]. An. C. 4[0]. n. 9. [S.] Prosper in [Ch]ronico. [Zo]sim. l. 6. [Cass]iodor. in [Chr]on. [Oro]s. l. 7. C. 3 & C. 40. [et] C. 43. B[ar]on. ad A. C. [4]09. n. 38.

S[ue]vi, Wan[da]li, Gothi, A[la]ni Germ[a]niæ popul[i] fuêre.

B[onfin]. rer. Ungar. Dec: 1. l. 2.

Crom. l. cit. Eutrop: hist. l. 10. & 14. Paul. l. 1. C. 1: de gestis Longobard. Procop. de bello Vandalico. Piasec: in Miscellis mihi fol. 57.

Piasecius adversùs nos non facit.

Lingvæ tēporibus immutantur.

otin deinde ad *Istrum*, tum illis *Gothicas* literas *Ulphilas Antistes* invenerit, postreáque per tot populorum capita, ut ita loquar, in *Hispaniam & Africam* euntes peregrinitatem aliquam ex alienis lingvis contraxerint, quod præcipuè in *Gallia, Hispania, & Africa* factum esse *Hispani Scriptores* ostendunt. Ad extremum, quæ monumenta *Wandalorum* requiras, gentis ad arma & sangvinem, non ad bonas literas, & atramentum natæ, quæ in *Hispania* non ampliùs quàm annis novemdecim sedit? quid tantillo tempore scribi, aut si quid à barbara gente scriptum fuit, quàm facilè potuit aboleri?

CAPUT XIII.

Caussæ, cur Venedis (Slavorum populo) ab aliquibus Wandalorum nomen sit impositum. Wenden non sunt Wandali, sed Venedi, vel Wendi. Crantzij grandis error de lingva Slavica. Item Fabricij & Blondi. Vohburgij & Trithemij invictâ authoritate, nostra sententia stabilitur.

Quæ caussa sit, quòd Vēdos vel Venedos cum Wandalis quidam cōfundant.

VNde autem natus sit error, ut *Wandali Slavorum* populi à quibusdam existimati sint, brevissimè aperiam: *Primùm*, causam erroris præbuit, Nominis vicinitas *Wendorum* seu *Venedorum & Wandalorum*; illos *Slavorum* populos fuisse certissimum est, & irrefragabilibus argumentis eruditissimi demonstrant, hos contrà Germanos; ergo qui morosiùs nomen non examinârunt, præsertim *Itali* Scriptores procul à nobis positi, & lingvæ utriusque ignari, ùt *Bonfinius*, *Blondus* & si qui sunt alij, (quanquam de *Blondo* postea aliud dicemus) inter *Wandalos & Wenedos* nullum fecère discrimen. *Secundò*: non parum ad eum errorem contulit locorum vicinitas: cùm enim *Wandalis* juxta nomen suum (Wandelen *peregrinari*) maximè vaga vita placeret, & primùm, ùt *Demesippus* apud *Bonfinium* loquitur, ab *Oceano* (utique Germanico) *prodijssent*, *& intra annum ad Gothorum fines pervenissent*, postea (ùt *Procopius* coævus *Wandalis* author testatur) ad Mæotidem paludem aliquando consedissent, inde fame exacti eam regionem occupârunt, quam postea *Gepidæ* incoluerunt ad *Ostia Vistulæ*, qui fluvius ab illis *Wandalus*, ùt etiam habet *Bonfinius*, est vocatus; hinc etiam à *Gothis* pulsi, *Pannoniam* ab Imperatoribus impetrârunt; in ea annos aliquot commorati, eâdem fame urgente in *Francos Germanos*, ùt idem *Procopius* habet, irruêre; addit *Salvianus*, & ipse ejus temporis Scriptor, eos inde in *Gallias*, mox in *Hispanias* ac tandem in *Africam* penetrâsse; cùm ergo vagus ille *Wandalorum* populus sedibus omnibus suis in Septentrione relictis cum uxoribus & parvulis, prorsus *Europâ* excessisset, quasi ex rerum natura amissus, cúmque in eorum sedes *Wendi*, vel *Heneti*, seu *Venedi* successissent (de quorum adventu jam ante egimus & agemus in sequentibus) factum est, ut locorum & nominum similitudine decepti Scriptores, *Venedos Wandalos* appellârint, ac fortasse ipsimet *Venedi* appellationem hanc non recusavêre, ùt faciunt *Czechitæ* nostri à *Boÿs* & nomen & patriam mutuati, ut Bojemi aut Bohemi dicamur. Neque de nihilo est, quòd *Germa-*

Cromer. l. 1. rer. Polon. C. 3.4.5.6.7.8. maximè C. 9. 10. 13. Welser. in Boicis l. 2. & 4.

Bonf. Dec. 1. l. 2.

Procop. l. 1. de bello Wandal.

Wand. vagabundi populi

Proc. l. Salv. in de Provide. Spondan. A. C. 4

Germani hodiernos illos quos oppressêre, ùt in *Epitome* diximus, *Slavos*, passim per *Lusatiam*, & aliquâ forsitan adhuc parte *Saxoniæ*, *Uckermarchiæ &c.* per tuguria sparsos Wenden appellant, *Wenedos* scilicet, non *Wandalos* vocantes; ùt & *Bohemi* qui nomen etiam *Wandalorum* in sua lingua non habent, sed *Venedos* (*Wenden* Slavicam gentem) *Srbos*, aut *Sorabos*, ùt notat *Fabricius*, hodiéque indigitant. In eandem sententiam *Goldastus*: *Venedi*, inquit, *sunt Pomerani Sedini, Megalopolenses, Cassuby, Rugy, Vagrÿ &c. quorum Principes origine sunt Slavi, Civitate Germani.*

[Margin: Vendi & Vandali recte distincta.]

[Margin: Gold. l. 2. de Jur. Boh. C. 18.]

Hæc ferè sunt, quæ *Münsterum*, & quosdam alios non contemnendos alioqui Scriptores deceperunt, ut *Vendos & Wandalos* confunderent, unámque ingentem cogerent; de *Crantzio* nihil est mirum eum ita sensisse, sentire enim ita debuit, cùm priùs (prorsus ridiculè) statuisset: *Slavos ex Germanis ortos, quódq; fœdius est, lingvam Slavicam ex corrupta Germanica, ortam esse;* cæcus scilicet de coloribus judicabat lingvam ignorans, argumento paucissimorum verborum, quæ, cum Germanicis artibus & artificibus, in *Slavicum* sermonem irrepserant; itaque apud eum & *Wendi*, *& Wandali*, *& Slavi* omnes (*Bohemi*, *Poloni* & cæteri) origine *Tevtones* sunt; quâ opinione nihil esse potest absurdius, *Crantzÿ* sententiam egregiè refellit *Cromerus*, atque ipsa, quâ utimur *Slavorum* lingva demonstrat per *Europam* usque & *Asiam* diffusa, sic ut illi amplitudine terrarum paucissimæ lingvæ æquiparentur, quam esse *primigeniam* (ùt in *Epitome* diximus) consentiunt Eruditi. *Fabricium*, quem pro se Adversarius adducit, nihil moror, correxit eum gentilis suus itidem Saxo, *Matthæus Dresserus* Vir omnis historiæ, ùt editi ab eo libri loquuntur, scientissimus, deinde in hac quæstione nutâsse *Fabricium*, & quid potissimum sequeretur, nescîsse, aliquot ejus loca ostendunt; ùt cùm irridet *Carolum IV.* ejus nominis Imperatorem, quòd *Slavicæ* gentis amore *Sancti Sigismundi* sacrum corpus ex *Burgundia Pragam* attulerit, *cùm Sanctus ille nihil pertineret ad Slavos.* Atqui, ô *Fabrici*, si *Wandali Slavi* fuêre, cùm *Burgundiones*, pars *Vandalorum*, & colonia fuerint (quod postremum consensu omnium Scriptorum, & te authore discimus) necesse est dicere: *S. Sigismundum* magnopere ad *Slavos & Bohemos* pertinuisse; at *Carolus*, non ùt *Fabricius* putabat, propter *Wandalos*, vel *Slavos*, sed privatâ Gentis suæ *Lucemburgicæ* pietate, quæ *Burgundiæ* Regibus vetustis esset cognata, hoc in S. *Sigismundum Martyrem* studioso amore exarsit.

[Margin: Adversus Crantzium.]

[Margin: Wandali vagabundi populi.]

[Margin: Procop. l. ... Salvian. Provid. Spondan. A.C.]

[Margin: Theod. Raynald. in Chronol.]

[Margin: Fabricij dubitatio de Wandalis.]

Blondum, qui ultimus ab adversarijs ponebatur, errare sinamus; at eum *Cromerus* nobiscum sensisse manifestè probat: ait enim, *Vandalis* ad invadendas Romanorum provincias abeuntibus, paulò pòst supervenisse *Slavos*; igitur *Vandali*, si *Blondum* audiamus, *Slavi* non fuêre; at quod adjicit *Blondus* de suo, maximum errorem continet: *credendum inquit est, quando Vandali profecti sunt ad invadendas Romanorum Provincias, partem gentis in Patria reliquisse; quare Slavi supervenientes ita locutiones commiscuêre, ut ex utraque tertiam linguam effecerint.* Putabat *Blondus*, homo Italus, & *Slavicæ & Germanicæ* lingvæ rudis, de *Italia* se scribere, in qua ex corrupta à barbaris *Longobardis* ac cæteris advenis, lingvâ latinâ, tertium loquendi, genus (*Italica* lingva scilicet) emersit; at *Slavica* lingva sine adminiculo aliarum constat, omnibus numeris absoluta; eadem est in *Polonia*, *Bohemia*, eadem in *Moscovia, &c.* omnibus *Slavicis* populis communis; quod non ita esset, si tertia quædam apud nos lingva ex *Germanicis & Slavicis* vocabulis composita prodijsset. Ad extremum denique cùm (ùt probatum est nuper) apud nos non habitârint *Wandali*, nullam gentis suæ partem, ùt modo

[Margin: Blondi error ex ignorantia lingvæ Slavicæ]

[Margin: C. 10.]

modò dicebat *Blondus*, apud nos relinquere potuerunt; præsertim cùm ibidem probaverimus, *Wandalorum* ultimam in hac Septentrionali Europa sedem Pannoniam ad Danubium fuisse, unde ad Rhenum profecti Galliam, Hispaniam, & denique Africam inundârint.

Vohburgij authoritate res tota definitur.

Satis arbitror ostensum est: *Bohemos & Polonos Slavicam* gentem, cum *Vandalis Arianis* nihil habuisse commune, nec lingvam, nec terram, ausim dicere; nec aërem, nec cælum, ac proinde *Vandalo-Bohemicam* illam chimæram ad spatia imaginaria, & *Epicuri* intermundia relegandam esse. Post hæc jam scripta, & authoritate Scriptorum utcunque firmata, inspicio *Vohburgium* multis voluminibus *Romano-Germanicos Annales* complexum; is verò minimè dubiè, aut obscurè multis in locis Historiæ suæ de *Wandalis* loquens, disertè asserit: *Vandalos sub Svevis apud Tacitum contineri (quòd nempe Tacitus universaliori Svevorum genere producto, minùs universale Vandalorum subjecerit)* item ex *Vandalis Gothones*, sive ùt à *Tacito* vocantur *Gothones & Burgundiones* ortos esse. Clariùs locutus est ad A.C. 180. nam cùm *Dionis* locum ex L. 72. attulisset de *Commodo* Imp. qui *Marcomannos* vetuit cum *Vandalis* bellum gerere, mox adjicit: *Notet Lector: hîc circa Danubium Vandalorum mentionem, cùm aliàs in descriptione Germaniæ, eos circa & ad Vistulam invenerimus, ut hinc eos sedes suas promovisse convincatur, & quia cum Quadis, & Marcomannis in Germanico hoc bello commemorantur, eos consideratis & alijs textibus revera Germanos fuisse nemo ampliùs dubitare debeat.* hæc ad verbum *Vohburgius*. Pluribus argumentis *Vandalorum* Gentem *Germanicam* fuisse Tomo II. idem *Vohburgius* ex optimis Scriptoribus demonstrat. gemina omnia habet author gravior & antiquior *Trithemius* Abbas Spanheimensis: *Wandali* inquit, *qui remanserant in Gallia cum Alanis, Regem sibi constituerunt Godgisicht vel Godogisilum, & audientes Gothorum adventum, quamvis ex una essent natione Scanziana procreati* (notanda sunt hæc verba de origine *Wandalorū* gothica, seu Germanica ex Insula Scandinavia) *nihilominus terrore perterriti Gallias deseruerunt, &c.* Clariora sunt quæ ad An: 422. scripsit idem *Trithemius*: *sunt autem Wandali, Alani, Svicij, sive Svedi, Gothiq; Longobardi & Nortmanni origine pares, quantum ad patriam nationis pertinet primitivā ex Germaniæ finibus & Insulis Scanzianis, seu Scandianis (quæ scilicet Gothia) sub quatuor aut quinq; disjunctionibus à principio transmigrationis suæ oriundi.* hæc *Trithemius*; quibus & tot alijs maximorum & coævorum Scriptorum authoritatibus, quid respondere Adversarij possint, equidem non invenio.

Vohburg. Tomo I. f. 383. A. C. 98.

Trithemij Abbatis authoritas.

Ad A.C. [..]3. Trith. in [..] baldo.

Spero apud *Lectores* meos plus corroboratam, & omnium sæculorum & Scriptorum, & nationum consensu firmatam authoritatem ponderis habituram, quàm unius, alteriùsve Scriptoris infirmissimam conjecturā, qui studio res novandi, confinxère quædam *Populo ut placerent, quas fecissent fabulas.* at cùm omnis novitas suspecta & periculosa sit, tum potissimùm in historijs, invalida, vana & odiosa censetur.

]o[

CAPUT XIV.

Paradoxa, vel potiùs, ut ita dicam, Pravidoxa historiæ Bohemicæ novi Scriptoris brevissimè refelluntur; quæ si vera forent, universam Annalium Nostrorum Oeconomiam, & omnium veterum Scriptorum authoritatem everterent.

D Libro co Wan dabohe- m inscri- pt

INcidi nuper in justum volumen Manuscriptum, de rebus Bohemicis, in duas divisum Partes; quarum prior generatim ad universam *Bohemiam* pertinentia tractat; posterior, *Illustrium Bohemiæ Familiarum Origines* complectitur; de postremo quid sentiam, aperiam alio loco (non enim meum est, neque ullius Viri probi, sine probationibus adductis, ullum hominem, nè dicam Scriptorem, qui publico bono laborat, damnare) *Partem primam* ad legendum avidissimè arripui, sed inveni tot *Paradoxis* (ut levissimè dicam) scatere, ut omni sponsione certare possim, nunquam ab ullo magis in historia *Patria* erratum esse, nullum qui longiùs ab omnibus Scriptoribus vetustis, & veritate discesserit! ipsa historiæ, ipsa gentis nostræ fundamenta convelluntur, & oppugnantur primordia; ac si quæ adfert ille, Veterum authoritate aliquâ sanciret, tolerabile foret negotium; at cùm ipsâ præfatione *ad universam Inclytam Nationem Bohemicam* fateatur se *verisimilia* tantùm allaturum, quis satis sanus non commoveatur, & patienter ferat: omnes *Bohemiæ* Scriptores Vetustos æquè, ac novos irrideri, & *palmariter* (ut ipse loquitur) *hallucinantes adstrui*, consensum totius Antiquitatis, & omnem authoritatem elevari, omnes Majorum traditiones, imò Exteros etiam Scriptores, qui aliquid de *Bohemia* unquam scripserint, susque deque haberi, & abjici, idque fieri, non authoritate aliquâ impetrabilis, vetusti, & probati Scriptoris, aut ratione aliquâ, aut *Chronologiâ* (quod acerrimum telum esse solet) poscente, aut deductâ ex his probabili aliquâ ratiocinatione, sed solâ conjecturâ, & paucorum nominum, ut videbimus, argumento. Satis scio neminem, qui vel à limine, *Bohemiæ* historiam salutârit, futurum, cui Scriptoris illius novitas placere possit; nè tamen historiæ nostræ ignaris illudatur, aut nè Novitatis amantes (cujus generis hominum hoc sæculo vilis habetur annona) etiam in historia (quod est nefas) fingere, & quid fieri potuit, non quid factum sit, licere sibi existiment scribere, quamvis ad tot errores historicos decutiendos grandi Volumine opus esset (defensio enim longè plus verborum, quàm accusatio, & criminatio postulat) consilium cepi paucissimis (dum alius me ætate, annis, viribus, & ingenio vegetior, id sibi negocij ut proprium assumat) per indiculum & Compendio *Paradoxa* quædam, & inanitatem ejus libri adferre, additis in loco refutationibus Laconicis, quæ multa paucis, ut Lector facilè intelliget, complectentur, cùm in superioribus Capitibus satis sint refutata.

Quâ caussâ induci potuerit Scriptor ut ad Misniam Origines Bohemorum referret.

Addam in hujus tractationis principio caussam, cur hic Scriptor ab authoritate vetusta; ad hanc Novitatem desciverit: nam cùm *Misnius* esset origine, & *rosas* gestaret in clypeo, si ostendere potuisset (quod voluit maximè, sed malo, ùt videbimus, successu) *Bohemos à Misnijs & à Wandalis* descendere; Item *Odoacrem Herulorum Regem, Przemyslum Libussæ maritum fuisse, & Rosas in Clypeo gessisse, & ex Misnia*

nia in Bohemiam venisse; Czechum & Lechum nullos fuisse, aliáque ejusmodi; cùm ex ejus *Przemysli* (quem ille *Odoacrem* fuisse, sed falsò, ùt videbimus, putat) familia, omnes *Bohemiæ Principes* ac Duces descendant, conficere nimirum voluit, se non modò esse *Rosensem* (quos omnes ex *Misniæ* prodiisse affirmat) sed se quoque esse *Regiæ stirpis*, *surculum Bohemiæ Principum* antiquorum, imò omnes *Bohemiæ Reges* ex sua gente descendere. huc omnis tendit probatio, *hîc Rhodus*, *hîc saltus*, *hîc anguis in herba!* hîc ulcus! quod ego non modò video, sed etiam manu tango, & quisque sagax *Lector*, involucris hisce conjecturarum malè tectum deprehendet.

Vandalobohemiæ nomen chimæricum.

I. Vandalobohemia Libri titulus, monstrum est verbi: *desinit in piscem mulier formosa supernè*, & Horatianum illud: *Humano capiti cervicem pictor Equinam &c. Vandali* enim nihil ad Bohemos; nunquam *Vandalos in Bohemia* habitasse, neque *Slavicam* sed *Germanicam* gentem fuisse luce meridianâ clarius superioribus Capitibus ostendimus. *Vendo* vel *Venedobohemiam* si scripsisset, excusatiùs peccasset.

In Præfat.

II. Vandalos à fluvio *Vandalo*, qui *Vistula* nobis est, appellatos putat. Hoc sustineri non potest, cùm *Jornandes & Procopius* (*Wandalis* propè adhuc in *Africa* dominantibus scribentes) disertè affirment, primas *Vandalorum* sedes *Scaniam*, & terras ad *Mare Balticum & Oceanum* jacentes, fuisse; inde ad *Mæotin* eos venisse, ac postea primùm ad *Montes Sarmaticos*, & ad caput fluminis, qui hodie *Vistula* est, profectos. Eadem *de Vandalis Cromerus & Bonfinius*, docuerunt. Ignotus ergo primùm *Vandalis* erat *Vistula*, ac dare genti tam remotæ nomen non poterat; atque ita non *Vandali* à fluvio, sed contrà fluvius à *Vandalis*, nomen accepit, alij certè, iique nobiliores historici, *Vandalos* à Rege Svevorum *Vandalo* nominatos dixerunt.

Jornand. de bello Getico. Procop. l. 1. de bello Wandal:

Vandali an à fluvio appellati.

Crom. l. 1. C. 5. Bonfin. hist. Ung. l. 1. & 2.

Jam ad Librum ipsum, & singula ejus Capita veniamus.

III. Ait, *Tacitum* pro *Bohemis* semper usurpasse vocem *Hermandurorum*. *Tacitus* nè semel *Bohemiæ* vocabulo usus est, *Bojos* ille aut *Bojohemum* semper appellat, neque nationes illas confundit, sed apertissimis verbis *Bojos Gallicam gentem*, *Hermunduros Svevicam* fuisse docet, ùt superiùs citatis ejus verbis ostendimus; ad extremum nunquam *Hermanduros* nec *Tacitus*, nec Veterum ullus dixit, sed *Hermunduros*, qui hodie *Misni* vel *Misniaci* dicuntur, ùt ostendunt *Münsterus & Dresserus*.

Boij & Hermunduri diversi.

Munster Cosmogr. l. 3. Dress. in Isag. hist. P.

IV. Arces & oppida, quæ apud nos *Germanicis* insigniuntur nominibus, ea à *Boijs* autumat accepisse nomen, ac etiamnum retinere; item pagos quosdam *Germanicos in Moraviæ* limitibus *Litomisslium* versùs, reliquias esse *Bojorum*, vel *Marcomannorum*. Primum universaliter verum esse non potest, cùm plurimæ arces diu pòst, Regum nostrorum tempore, conditæ sint, eisque tum in recenti re imposita sint nomina, ut *Waldstein*, *Wartenberg*, *Guttenstein*, *&c.* quædam earum, antè semper *Slavicæ*, Regibus è Germanica stirpe imperantibus nomen mutaverunt, ùt de *Hasenburg* satis constat; quædam à Ducibus nominatæ vetustam *Hermundurorum* originem non habent, ùt *Brandeis à Boleslao Sævo* conditum, ùt *Carlstein à Carolo IV.* ùt *Lichtenburg*, *Rabstein*, *Pernstein*, *Landstein*, *Grünberga*, *Helffenburgum duplex*, innumeræq; aliæ, quorum conditores nominare possumus. De *Pagis Germanicis* eadem est ratio: promovêre sese ad nos *Germani* confines (quod hodiéque fieri videmus) ùt *Silesij*, *Lusatij*, *Bavari*, *Saxones*, *Misnij*, *Voitlandi*, terræ bonitate & frugum copiâ allecti; *Svevorum* etiam coloniæ à *Rosensibus*, *& Novodomæis Proceribus* sæpius in *Bohemiam* adductæ.

An in libris reliquiæ persint Boiorum & Marcomannorum

Quod de *Pagis* quibusdam *Litomisslensibus*

lensibus adjicitur, omnino falsum videtur, *reliquias esse Bojorum*, aut *Marcomannorum*: nam *Boij* occidentalem *Bohemiam*, *Marcomanni* meridionalem & occidentalem etiam, pulsis *Boijs* tenuerunt, ùt antè dixi, & docent *Vohburgius & Cluverius*, locis pridem citatis; *Hermundurorum* reliquias dicere oportebat: ibi enim *Gruluch*, ibi *Landscrona* in proximo, Urbes Regiæ *Hermundurorum*, in quarum altera *Corona* servabatur, alteram *Reges* ipsi incolebant, ut ex ipso *Hagecio* datur intelligi; sed ægrè istud quoque defendi potest, *Hermunduris*, ùt pridem dixi, cum *Attila*, vel deletis, vel in alterius gentis nomen transeuntibus.

[Herm]undurum vetu[s] sedes a[d] nos [qu]ædam, re[ti]nent no[mi]na.

[H]ff. in Anna[l.] Bohem.

V. Marcomannos, & Marobodum Regem, Sarmaticæ, seu *Venedicæ*, seu *Slavicæ* gentis fuisse; hoc jam *secundo & quarto* Libri præsentis *Capite* refellimus, sed argumenta, quibus rem omnibus alijs ante se ignotam astruat, audiamus:

[An] Marobo[du]o an fue[rit] ex gente [S]lavica.

I. Non apparet, quò *Marcomanni* pulsi abierint, si *Slavorum* populi non erant; neq; enim est credibile tam fertilem *Bohemiæ Regionem* desertam & incultam jacuisse.

Jam nuper respondi: *Marcomannos* partim sedes mutasse, & à *Romanis* accepisse, partim *Romanorum* armis deletos, quosdam in *Bojos*, *& Gothos*, *& Wandalos* communione ejusdem lingvæ transisse, quosdam cum *Hunnis*, *& Attila* adversus Romanos pugnantes perisse, quosdam cum Novo *Czechorum* populo in unum coaluisse. Potest etiam nimis quàm probabiliter, & verosimiliter dici: *Maroboduo* per *Arminium*, *& Catavaldam* Bojemiâ exacto, multos ex *Marcomannis*, qui cum Rege suo olim advenerant, *Bojemiâ* ejectos. Neque magnopere mirum videri potest, illis sæculis, quibus omnes *Septentrionales Populi*, quasi ab imo commoti, huc atque illuc vagabantur (ùt ostendit *Wolfgangus Lazius*) *Bohemiam* aliquo tempore, ob bella, & clades propè desertam jacuisse. *Boij*, *Marcomanni*, *Hermunduri*, videlicet abierant, aut ad paucos redierant, *Venedi* seu *Slavi* paulatim succedebant.

[La]z. in lib. 8. Migrat. gē[nti]um.

II. Argumentum, ùt *Marcomannos*, *Slavos* fuisse demonstret, adducit: *Codex*, inquit, *M. S. Vetus in Collegio Pragensi repertus habet*: *An. 350. elegisse sibi Bohemos Slavos Ducem Crocum Hledij filium; igitur debuère jam antè Bohemiam intrare, ergo sub Maroboduo, nam Czechum juxta Hagecium primùm An. 644. venisse.* Claudicat argumentum, nam si A. 278. advenit *Czechus* cum Nobilitate, & Veteres in *Bohemia Slavos* invenit, non video cur An. 350. Veteres novique Bohemiæ Coloni, (quos unum *Bohemorum* nomen conjunxit) eligere sibi *Crocum* non potuerint, ùt antè diximus; deinde ex eo quòd An: 350. *Crocus* sit electus, non continuò sequitur sub *Maroboduo Czechos* in *Bohemiam* venisse, cùm *Marobodus* sub *Augusto & Tiberio* Imp: vixerit, & An. Christi 19. ab *Arminio* sit cæsus, ùt omnes Scriptores *Romani* consentiunt; poterat igitur in *Bojohemum* venire An. 300. poterant An. 250. poterant 200. poterant Anno Christi 100. diu pòst obitum *Marobodui*. Tandem cùm ille vetustus Codex *Hagecio* adversetur, & longè citiùs tribus sæculis *Czechi* in has oras adventum ponat, (cui scilicet postea *Crocus* successit) necessariò alteruter vel Scriptor Codicis, vel *Hagecius* ipse fallitur. Ergo quâ ratione utrumque sibi adversantem conjungere tentat, cùm veritas falso fundamento non possit inniti? nam si admittimus *Crocum* *Czechi* successorem electum An. 350. ergo *Czechus* ante id tempus venit; si verò contrà cum *Hagecio* affirmemus venisse 644. ergo *Crocus* nō A: 350. sed post A. 644. vixit, siquidē *Czecho* (ùt & hi duo Scriptores, aliiq; omnes docent) successit. Non potest igitur pro *Maroboduo* argumentum ullum ex illo Codice & Hagecio, sibi adversantib[us] sumi.

Argumenta solvuntur & ostenditur Marobodum Regem fuisse Svevorum.

III. Argumentum ex nominibus petit: *Marobod enim aliquid Sarmaticum ſonat*, (inquit) *uti etiam Koribut, ſucceſſorum item Marobodui nomina, ùt Vannius* (quem ipſe *Wanniam*, ridiculè, quaſi *Wañam* ruſticis *Wenceſlaum*, appellat) *Sidon, Vangius, Turzius*, aliique. Ego in *Moroboduo* nihil Slavicum video, non magis quàm in Conſule Romano *Marobaude*, An. C. 377. & iterum An. 383. aut in *Plintæ* itidem Romano Conſule An. C. 419. vel in *Artaburio* & ipſo Conſule, vel in *Hormiſda* Pontifice Romano An. C. 515. quos è *Slavica* gente ortos non eſſe, omnes ſciunt; etiam *Koribut* quod adducit, *Slavicum* non eſt. Et quæſo an non Regum Vandalorum nomina: *Genſericus, Geiſericus, Hildericus, Gundabundus, Traſamundus, Godaiſus, & Gilimer Tevtonicum* aliquid ſonant? nihilominus tamen idem Scriptor *Wandalos Slavicam* fuiſſe gentem contendit. Tædet, pigétque plures ejusmodi futilitates, refellere. Ad extremum objicit ipſe ſibi, quod non poteſt refellere: quâ ratione *Tacitus, Maroboduum Svevum, & Marcomannos Svevos* appellare potuerit? hîc hæret, hîc viſco tactus tenetur! denique poſtquam *formas ſeſe verſavit in omnes*, ait: *Tacitum quid diceret, neſciviſſe, & ignorâſſe Germaniam.* Mirifica reſponſio! via perfacilis ad graviſſimorum etiam Scriptorum authoritatem proſtituendam: *neſcivit, lapſus eſt, fallit, & fallitur.* innumeri, quos antè Cap. 2. & 3. laudavi Scriptores diſertè cum Tacito faciunt (*Vellejus, Svetonius, Dio, Strabo, Brunnerus, Velſerus, Lipſius, Vohburgius, Cluverius, Dreſſerus, &c.*) de quibus omnibus ferenda erit cenſura: *neſcierunt, lapſi ſunt, fallunt, & falluntur.* at profectò *Maroboduus* pluribus annis vel juvenis *Romæ*, & poſtea ſenior inglorius in *Italia* vixit, conſenuit, ibíq; *Ravennæ* extinctus eſt; neque ejus gentem, aut genus, *Tacitus*, aut *Romani* potuerunt ignorare, etiamſi ipſam *Germaniam* (quanquam quî iſtud fieri potuit?) ignorâſſent.

Tacitus defenditur

CAPUT XV.

Rurſus alia ejuſdem Scriptoris Paradoxa proponuntur, ac refutantur; præcipuè quæ ex detortis in Slavicam linguam nominibus conficta ſunt. Vitæ, vel Viti Populi, Slavis annumerari non poſſunt; Hunni, Vindelici, Saxones, Rhæti, Alani, è Slavis vel Venedis non prodiêre. Enumerantur Venedorum populi ad Mare Oceanum. De Sileſijs, de Oſis & Quadis.

Refelluntur quædã derivationes ex lingva Slavica.

VI. QVando huc perventum eſt ut de *Nominibus* diſceptetur, adducam hoc loco Authoris hujus novi *Vandalica, Græca*, & aliarum gentium ignotarum, nomina, in quibus ipſe (quod ante ipſum nemo alius) *Slavicam* lingvam latentem probare conatur; quorum nominum interpretationes pleræque tam inanes profectò ſunt, ut riſum, non refutationem mereantur. *Liburniæ* inquit, *provinciæ (quæ eadem eſt cum Croatia) nomen à voce noſtra* **Liby** *natum eſt.* In primis examinandum relinquo Chorographis, utrúmne *Croatia, Liburnia* dici poſſit; illud certum eſt, *Liburniæ* nomen longè antè quàm *Slavi* in *Illyricum* veniſſent, *Romanis* cognitum & uſitatum fuiſſe. *Ibis Liburnis inter alta navium Amice propugnacula*, canit *Horatius*. In Præfat.

Vibillius & Jubillius Marcomannorum P. 1. C. 3.

rum Reges, ille quòd hostes expulerit
𝔚𝔶𝔟𝔦𝔩, iste quasi 𝔥𝔲𝔟𝔦𝔩, appellantur.
Modigistlus, ait nomen est *Slavicum*
(non explicat originem vocis Scri-
ptor) atqui *Germanicum* alij agno-
scunt, æquè ùt *Villegisus, Radegisus* &c.
Vide *Meibomium* hæc ipsa nomina,
plurimáque alia ex *Germanica* lingva
sine omni controversia fælicissimè in-
terpretantem, & explicantem. *Sti-*
lico Vandalus dici posset quasi 𝔖𝔰𝔱𝔦𝔥𝔩𝔦𝔨;
Czechus & Lechus dicti sunt ab Isthmi
Corinthiaci duobus oppidis Cenchreis &
Lecheis; quod si inde non velis, proba-
bile est Lechum à Lyco fluvio in Vindeli-
cis appellatum. quid? opúsne est, ut
omnia Ducum nomina à fluvijs pe-
tantur? DEUS immortalis, quò res
C. 6. evadet! *Pannonia ex Pomeranico flu-*
vio Pan nomen accepit, id est Dominus;
unde Circipani sunt dicti, Latinis Heru-
li. Nolo consultò, quod pronissi-
Lazius in libr: de migratio-nib. Gentiũ. mum est, refellere, *Lazius* consulatur.
Vindelici & Rheti, Slavi fuerunt, unde
etiam Veneti, & Venetiæ; vicinum
C. 7. *enim est nomen Vandalis. In Burgun-*
dia Divio & Dola, voces sunt Slavicæ.
Jam quæ sequuntur admiranda ma-
gis, quàm refellenda sunt: *Lydia, in-*
quit, Bithynia, Mysia, Lycia, Caria à Sla-
vicis vocibus 𝔏𝔦𝔡 (populus) 𝔅𝔶𝔱 (se-
des) 𝔪𝔦𝔰𝔶𝔱𝔦 (miscere) 𝔨á𝔯𝔞𝔱𝔦 (mone-
C. 8. re) *nomen acceperunt. Sclavi ab Urbe*
Moskovitica Sklovv dicuntur; Venzo-
na in Italia, quasi 𝔚𝔢𝔫𝔱𝔷𝔬𝔴𝔞𝔫𝔶 / *ditio*
quædam ad Litomericium; Coniano ab
aliquo nostro 𝔎𝔲𝔫𝔞𝔫𝔶, *Verona à Beraun;*
Cadubrium per metathesin 𝔎𝔩𝔞𝔡𝔯𝔲𝔟𝔶;
C. 9. *Udeno,* 𝔙𝔡𝔦𝔫; *Tarvisium, Tarvisie, Sa-*
cile, 𝔷𝔞𝔠𝔞𝔩𝔦𝔠𝔢; *Patavium, quasi* 𝔅𝔞-
𝔱𝔬𝔴 *vel* 𝔅𝔞𝔱𝔢𝔩𝔬𝔴, *qui ad Telczium pa-*
C. 11. *gus est. In Germania rursus Anhalt, quasi*
𝔄𝔲𝔫𝔥𝔬𝔡. *Wittenberga* 𝔚𝔶𝔱𝔬𝔥𝔯𝔞𝔡.
ℭ𝔥𝔞𝔯𝔴𝔞𝔱𝔦𝔠𝔢, *pagus est in Districtu Sla-*
nensi, 𝔏𝔲𝔱𝔦𝔠𝔢 *in Zatecensi; hi dedêre*
nomen Luticio monti, isti Croatarum
Regioni. Lusatij à 𝔏𝔞𝔲𝔷𝔢 *dicti; Hun-*
nos Slavicam gentem esse nomen arguit,
𝔥𝔲𝔫ê *enim vel* 𝔥𝔞𝔲𝔫é *tegmina sunt*
crasso filo, quibus Slavi conteguntur.

Frater Attilæ Bleda, sine dubio Slavis
𝔅𝔩𝔢𝔡ý *id est pallidus;* sed *Budam*, *Bonfin. Ritius. Callimachus. Olahus. Herold. Sambucus &c.*
non *Bledam* Attilæ fratrem nominant
omnes *Ungarici Scriptores* à quo Urbs
Buda nomen accepit. 𝔷𝔢𝔪𝔞𝔫 *vox*
(quæ virum nobilem significat) *est* C. 15.
Germanica Seeman; atqui *Zeman* à
terra dicitur, qui terræ Dominus est,
Italis Gentilhuomo. *Neklan Bohe-* C. 17.
miæ Princeps hinc appellationem sorti-
tus est: Germanis enim objicientibus,
quòd esset Princeps 𝔎𝔩𝔢𝔫 *vel* 𝔎𝔩𝔞𝔫, *id est*
parvus, respondêre Bohemi: non esse
parvum; inde vocabulum Neklan.
Tolerari posset si vel unicum autho- C. 25.
rem haberet, at ultra suspicionem ad-
fert nihil. Omitto alias non minùs
audaces Nominum derivationes, in
quibus omnibus faceta inventio mihi
sæpius risum movit: habet ergo *Bohe-*
mia suum *Goropium*, qui omnia Scri-
pturæ sacræ nomina (ut *Adã, Tubalca-*
im &c.) ad *Germanicam* (noster nomi-
na locorum & populorum ad *Slavi-*
cam lingvam) revocare conatur. Sa-
nè si conjecturæ hujusmodi infælices
in historijs locum habeant, nullum mi-
hi propè Nomen dederis, quod ego
non continuò *Slavicum* esse, detortâ
aliquâ & defractâ significatione, pro-
bare possim.

VII. Asserit *Alanos & Hunnos Slavi-* C. 6. & C. 13.
cos fuisse populos, & *Slavicâ* usos lin-
gvâ. De *Hunnis* tam falsum, quàm Alani & Hũni Slavorũ populi non fuêre.
quod falsissimum; vel unâ *Bonfinij* &
cæterorum, qui de *Ungaris & Hunnis*
egerunt, inspectione tota cadet asser-
tio. De *Alanis* videatur antiquissi-
mus belli Vandalici Scriptor *Procopius*,
qui eos unà cum *Vandalis Gallias*, de-
inde *Hispanias* petivisse narrat, sed bre-
vi & ipsos à *Gothis*, quibus *eandem ori-*
ginem & lingvam fuisse ait, (quod no-
tare oportet) expulsos regnum amisis-
se. Plura de his in *Procopio*, & qui
eum compendio retulit *Volaterrano*, Vandalorũ diversi populi sinè fũdamento fiunt.
legi possunt, & jam antè Cap: XI. pro-
bavimus.

VIII. Incipit *Vandalorum* diversos e-
numerare populos: inprimis *Herulos*, C. 24.

ex quibus *Odoacer Herulorum Rex* Romam occupârit: deinde *Vitos* qui in *Britanniam* penetrârint; superesse in Anglia *Vandalismi & Slavicæ* lingvæ non pauca vestigia. Tum *Hunnos*, *Burgundiones*, *Vindelicos*, *Saxones*, qui cum *Carolo Magno* bella gesserint: *Vilsos*, *Obotritos*, *Tolenzos*, *Polabos*, *Sorabos*, *Glomacos*, *Lusatios*, *Slezacos*, seu *Silesios*, *Moravos*, *Rhedarios &c.* De *Herulis & Odoacre Italiæ Rege* peculiariter agemus in sequentibus. De *Vitis Dresserum* ex communi omnium eruditorum sensu scribentem audiamus: *Vitæ, maris Germanici accolæ, quorum pars cum Angris in Angliam commigravit, pars in Helvetiam se contulit, & propè Tigurinos sedem rerum suarum collocavit. Hi postea Suitæ, & ab exteris Sviceri sunt dicti; Regio denique ipsa ab his nomen adepta est. Sunt qui scribant, Carolum Magnum decem millia Anglorum, & Saxonum Albingorum, quibus absque dubio etiam Vitæ interfuerunt, ablegasse in Brabantiam, Flandriam, & id genus alia loca vicina, multa item millia collocasse in Transilvania.* Hæc Dresserus. De *Hunnis* jam antè dixi, & provoco ad rerum Ungaricarum Scriptores. Moribus, & studijs, lingvâ, religione, sedibus, totâ denique origine, & natione à *Slavis* imò & à *Vandalis* diversi fuêre, idq; nemo unquam aut dixit, aut dicturum confido, quisquis tres, quatuórve paginas *historiæ Ungaricæ* percurrerit. Terentianus jocus est: *qui utramvis gentem* (scilicet *Slavicam*, *& Hunnicam*) rectè nôrit, *ambas noverit.* De *Burgundionibus* jam antè docui, eos nihil *Slavonicum*, nec nominetenus quidem habuisse; *Vindelici* ipsis *Vandalis* antiquiores sunt, & quanquam à *Vandalis* orti forent, si *Vandali Germaniæ* populus fuit (ut ostendimus) *Vindelici inter Slavorum* populos censeri non possunt. De *Saxonibus* nihil volo dicere: res ipsa, quid tenendum sit, & quàm hæc malè scribantur, ostendit. Reliqui, quos enumerat populi, fateor, ex *Slavis* prodiêre; at non ex *Vandalis*, etsi aliqui ex ijs desertas à *Vandalis* terras possederint, sed ex *Vendis*, vel *Venedis* (unde *Venedicus sinus* hodiéque) vel *Henetis*, ùt jam ex *Dressero*, *Cromero*, *Velsero* aliisque optimæ notæ Scriptoribus est probatum: *Vilzi*, vel *Vilzieni*, Wlcy (id est *Lupi*) *Slavi*, olim ultra *Salam* versus *Mansfeldiam* habitârunt, à Saxonibus pulsi; *Obetriti*, vel *Obotriti Slavi*, ubi nunc *Mechlburg*; *Tolenzi Slavi*, in Marchia Brandeburgica; *Polabi* Slavi secundo flumine *Albi* habitantes; *Sorbi* vel *Sorabi*, vel *Srbi*, *Slavorum populi* inter *Salam & Albim*, qui & *Dalemantij* nominati sunt, à quibus *Serbia* vel *Sirbia*, item *Glomatia*, vel *Lomacia*, illa regio fuit appellata; à *Ludovico* Rege Romanorum Anno 874. prorsus oppressi. Alij sunt *Serbi pars Slavorum* ad dextram ripam *Albis* inter *Witebergam & Magdeburgum*; *Lusatij* Slavorum populi inter *Silesiam*, *& Misniam*. De *Slezacis*, vel *Silesiis* ex *Dressero* ipsa verba annumerabo: *Silesij*, *Tacito Ligij*, *Ptolemæo & Straboni Luji*, *Svevica Gens nobilissima in Germania, quæ complexa est Arios, Helverones, Manimos, Elysios & Naharvalos. Ac Arij quidem proximi fuerunt Carpato in prima ora Poloniæ majoris, Helverones & Manimi ad ripam Borealem Viadri sive Oderæ consederunt. Elysij ultra Viadrum ad montes Bohemicos. Naharvali Masoviam incoluerunt. fuêre igitur Silesij veteres Quadi, (habitatione videlicet, non ortu nationis vel lingvâ) tum Lygij, Elysij & ex parte quadam etiam Manimi.* Item alibi: *Quadi Svevi Germaniæ populi in parte Moraviæ & Silesiæ ad Nissam, partem etiam Poloniæ, ubi nunc est Cracovia, tenuerunt. Osi Svevi Moravis vicini versus Silesiam, & Poloniam, ubi sunt Oppolium & Nissa.* Et paulò antè: *Lygij vel Luij Svevi, inter Oderam & Sudetos montes circa Wratislaviam, Legnicium, partem etiam trans Oderam ad Boleslaviam Silesiæ, & Gnesnam.* hæc Dresserus. at postea maximam

Dress. Isagog. hist. P. 5. in Germaniæ Populis.

Burgundiones, Vindelici & Saxones nihil Slavicum habuêre.

Dress. l. c. in voce Wilz.

Dress. l.

Silesiæ mutationes. mam mutationem *Silesia* subijt, cùm *Venedorum* populi succesſêre, & prioribus Incolis ſponte, vel vi adactis & alio migrantibus, qui remanſerant in unum populum coaluêre; poſt hæc rurſus *Germani* potiſſimùm ex *Marchia in Silesiam*, ut Silesiæ hiſtorici fatentur, immigrare cœperunt. Ex quibus omnibus quæ antè, & modò allata ſunt, & authoritate optimorum Scriptorum, *Welſeri*, *Dreſſeri*, *Lipſij*, *Bonfinij*, *Cluverij*, & antiquorum omnium, *Strabonis*, *Ptolemæi*, *Taciti*, *Velleij*, conficitur & illud: malè *Silesios ſuperiores*, *Quados* appellari, cùm *Quadi* conſenſu omnium Scriptorum *Svevica & Germanica* gens fuerit, quæ pridem eſt extincta; at *Silesij* ſuperiores, *Sarmatica* gens eſt, & colonia ducta *Slavorum*, vel *Polonorum*.

CAPUT XVI.

De duabus Dalmatijs; nulla fuit Miſnica; nec Dalmatia, ſed Daleminzia, vel Dalamantia. Malè Croatia, & Dalmatia confunduntur. Miſniæ nomen non eſſe improvidè, aut per errorem impoſitum. Crantzius refellitur. Miſnia, & Bohemia nunquam fuit una Provincia; neque Auſta Civitas Bohemiæ unquam pars Miſniæ fuit. Berkarum illuſtriſſima Stirps non habet ortum ex Miſnia, neque Perenſteinij; Sanctus Adalbertus in Bohemia natus, non in Miſnia.

Alia eſt regio Daleminzia, alia Dalmatia. IX. QVæ decimo ſexto Cap: adferuntur, omnia adverſus Scriptorũ omnium torrentem nituntur, ſed propoſito Authoris, quod initio Capitis XIV. allatum eſt, (C. 16.) mirè conducunt, & congruunt. Duas ibi facit *Dalmatias*, alteram, quam ipſe vocat *Illyricanam* (Dalmatiæ Regnum) alteram *Miſnenſem*, ſeu in Miſnia ſitam; ex hac *Miſnenſi* prodijſſe *Slavos Bohemos* affirmat, non ex *Illyricana Dalmatia*; omnes ante ſe Scriptores erraſſe, qui decepti voce *Dalmatia*, *Illyricanam* acceperint, cùm *Dalmatia Miſnica* fuerit intelligenda. Hîc diſputat unde *Miſnia* ſit dicta, aut *Dalmatia Miſnica*; ab *aliquo*, inquit, *ſciolo, qui cùm per errorem Miſnios Myſos eſſe putaverit, conſequenter penes illos Dalmatas eſſe dixit*; novum paradoxum ſequitur: *Miſniam & Bohemiam olim ſub una Regione comprehenſas eſſe, cujus rei evidens ſit argumentum, quòd Auſta vel Uſta regia Civitas ad Miſniam aliquando ſpectârit*, pro qua defendenda *Miſnij* adverſus *Huſſitas* Exercitum adduxerint A. C. 1426. quo tempore à *Bohemis* ad *Auſtam* ſunt cæſi. quædam nomina Arcium & Oppidorum adducit, *Bohemis & Miſnijs* communia; *unde* (inquit) *apparet ex hac Dalmatia, non ex altera, Bohemorum* (*quam ille vocat Wandalorum*) gentem prodijſſe. quot lineæ, tot ut modeſtiſſimè dicam Paradoxa! quæ ſanè absque omni authoritate prolata, à nemine tolerari poſſunt, niſi qui unâ liturâ omnem memoriam Scriptorum extingvere & funditus delere, omnémq; antiquitati fidem ſemel auferre ſtatuerit. Aio inprimis figmentum eſſe geminam *Dalmatiam*, unica tantùm eſt: nam *Miſnenſis*, non *Dalmatia*, ſed *Daleminzia*, aut *Dalamantia Witikindo* dicitur, nec unquam ab ullo authore quod ſciam *Dalmatas Miſnenſes*, ſed *Daleminzos*, aut *Dalamantos*, vel *Dalmanticos* appellatos invêni; idque

que uno tantùm vel altero sæculo ab Anno 800. usque ad 1000. & paulùm ultrà, ita *Ditmarus & Witikindus* eorum temporum Scriptores, ita *Meibomius*, *Fabricius*, *Dresserus*, *Cluverius*, *Cromerus*, omnésque eruditi sentiunt; fateor errore librariorum aliquando pro *Daleminzia Dalmatiam* in *Siffrido*, aut in *Abbate Urspergensi* reperiri, sed hunc errorem pridem *Meibomius*, *Pistorius*, *Fabricius & Freherus* correxerunt, ac docuerunt: *Daleminzia* esse legendum. Proferam hoc loco ex *Meibomio* plagulam: *Sigebertus* inquit, *Urspergensis, & qui hos sequuntur, ex vocabulo ignoto Dalminciorum, gravi errore fecerunt Dalmatas, quod neque Crantzium, neque Cuspinianum animadvertisse miror.* Eadem prosus habet *Fabricius: Urbs Misna condita est in regione, quæ olim dicta Daleminciæ, ut apparet è literis Joannis XIII. Pontificis, appellata à Boëmis Sirbia, ut scribit Cosmas, à Slavis Lomacia, ut legitur in Ditmaro; antiquissimis nominibus Terra Senonum, & Soraborum, quam Svevi olim inhabitarunt; has terras ad Albim antiquitus coluisse Hermunduros, Svevorum portionem, testatur Strabo. Dalamantici tamen potiùs dicendi, quàm Dalemicij:* quod postremum *Meibomius* non probat. Præterea ijdem Authores duo, & si qui sunt alij, qui *Dalmatiam* vocant, nunquam Misniæ populos *Dalmatas*, sed *Daleminzios* semper appellant; unde quisque prudens intelligit subesse amanuensis errorem, & cùm *Daleminzij* populi sint, *Daleminziam* quoque eorum provinciam appellatam fuisse. Alterum illud assertum: *Slavos ex Misnia Daleminziáve in Bohemiam* venisse unius *Crantzij* & paucissimorum qui eum sequuntur, somnium est: qui cùm *Vendos Vandalos* esse semel crediderit, & (ignorantiâ lingvæ nostræ) *Slavicam lingvam* nihil aliud esse, quàm *corruptam Germanicam* affirmârit, *Vandalósque* à Maris Oceani litoribus sese in *Pannoniam*, *Italiam*, ac reliquas Meridionales partes diffudisse legerit, (ùt jam sæpius hoc libro dixisse memini) necessariâ quadam consecutione adstruere debuit, intermedias quoque regiones (*Misniam*, *Bohemiam*, *Moraviam &c.*) ab ijsdem *Vandalis* populo impletas esse; sed quàm istud *de Vandalis falsum*, tam etiam hoc consectarium: *Slavorum populos ex Vandalia in Bohemiam advenisse;* ut sileamus sinè omni caussa, sine authoritate Veterum, sine ratione hæc confingi, quæ traditioni & consensui universæ gentis *Polonæ*, *Bohemicæ*, & universim *Slavonicæ*, ac deinde omni antiquitati, & historicis nostris & Germanicis omnibus è diametro adversantur; adde quòd *Czechum & Lechum* non ex *Dalmatia*, sed ex *Croatia* (nè similitudine vocis deceptos putes) venisse plerique tradiderint; quod aliud longè est; duo enim diversa regna confunduntur: quippe *post Dalmatiæ campos* (verba sunt Chronici veteris) *aperitur Istria, tum alba Croatia; inde à dictis campis Dyrrhachium usquè, Croatia rubea, & versus montana à flumine Drino, trans flumen ipsum, usquè Macedoniam, Rasciam, & circa flumen, Bosniam vocavêre; Rasciáq;, & Bosnia pro Regni Croatiæ regionibus habebantur;* videantur Tabulæ Geographicæ Italiæ (in cujus conspectu jacet *Dalmatia*) aut *Illyrici*, aut *Græciæ*, aut *Ungariæ*, aut *Turcarum Imperij*. Fingenda itaque erit huic Scriptori nova *Croatia in Misnia*, ut inde primordia *Bohemiæ* arcessantur, cùm *Daleminziæ* nomen, ùt videmus, non subsistat. Et quamvis è *Dalmatia Czechum* venisse antiquitas diceret; Quis quæso ex ignota *Daleminzia* paucissimis cognita, *Dalmatiam* sibi finxisset? non enim ex nova *Daleminzia* vetustissimum *Dalmatiæ* nomen, sed contrà ex *Dalmatia Daleminziæ* nomen verisimiliter (si alterutrum dicere oporteat) profluxit. Quanquam secum ipse pugnat hic author: cùm enim antè docuerit (quod tamen defendi non potest) *Marobodu-*

um

Meibom. in Notis ad l. 1. Annal. Vitikindi. Fabric. l. 1. Annal. Urbis Misnæ & in Origin. Saxon. l. 2. init. in Henrico I.

Strabo lib. 7.

Crantzium clarissimè refutat Cromerus l. 1. hist. Polon. C. 2. 3. & 6.

Czech Croatia ex Dalmatia veni[t]

Chron. [...] in sexta [...] Mundi [...] in Europ[a]

Ex Mi[snia] Czech[us] in has ora[s] venire [n]on potuit

um Slavicæ gentis Regem fuisse, & populares suos *Marcomannos* (utique ex Moravia) in *Bohemiam* transtulisse, atque ita in *Bohemia Slavicam* gentem plantasse; quâ ratione nunc dicere potest, ex *Misnia & Daleminzia* in *Bohemiam Slavos* venisse?

Misnenses nunc dicti; non Mysia.

Jam Origo nominis *Misniæ* (quam per errorem scioli alicujus, *Mysiæ* loco appellatam docet) prorsus est inverisimilis; quis enim Sciolus tantâ authoritate pollebat, ut integræ Provinciæ, quod unus ipse vellet, tanquam Dictator, *Nomen* imponeret? *Crantzius* (quem hic Scriptor tantopere miratur, laudat, ac velis remisque sequitur) sibi ipsi adversatur: nam *Misnios* à flumine Bohemiæ *Misa*, *Saxones* verò ab ejusdem Bohemiæ fluvio *Sazava* derivat: quòd videlicet ad hos fluvios degentes Populi ex *Bohemia*, illi *Misniam*, isti *Saxoniam* colonijs compleverint. Quàm igitur improbabile, *Misnios* ex *Misnia* sursum in *Bohemiam*, vicissim verò *Bohemos à Misa & Sazava* in *Misniam & Saxoniam* descendisse? hæc certè sibi non congruunt, & nullo vetusti alicujus authoris testimonio nituntur. *Saxones* unde appellati sint habes apud antiquissimum Saxoniæ Scriptorem *Witikindum*.

Witik. l. 1. Annal. Saxon.

Rectiùs *Dresserus* (Scriptor egregius, Misnensium rerum si quis unquam peritus, ejusdémque nationis) *Misnenses*, inquit, *Misa fluvio infra arcem Misnensem delabente in Albim, nominati sunt ab Imperatore Henrico Aucupe An: C. 928. eo in loco ubi oppidum Lupfurt, & trajectus per Albim fuit: Cùm enim devictis Venedis, qui Dalamantici dicebantur, & inter Salam ac Albim considebant, Brandeburgum & Grünam infra Ilenburgum ad Muldam, in suam potestatem redegisset, arcem & Marchiam Misnæ condidit, quam Comiti Wetini commendavit, ut perpetuum esset adversus hostes præsidium. Ita compressis Venedis, Hermunduri denuo hanc oram ad Albim frequentarunt, admixtis haud dubiè Venedorum reliqvijs, quæ illic remanserant.*

Dress. Isag. hist. P. in Misnia.

Hæc narratio cùm ex omni parte verisimillima sit, facilè quivis intelligit non *Mysos*, sed *Misnenses* regionis hujus incolas nuncupari. Habet Lector eruditus ex *Dressero*, compendio, quidquid de origine *Misnensium* latè scribi potuisset; eadem de Origine *Misnæ Urbis*, *Fabricij* fuit sententia. *In Originibus*, inquit, *legitur, victos à Diterico I. Dalemincios & eorum regionem tum primùm esse Misniam appellatam.* Hinc necesse est dicere, *Bohemiam & Misniam* unâ gente comprehensas non fuisse: *Misnij* enim *Germani*, & Germanicâ usi sunt utuntúrque linguâ; *Bohemi* post Bojos depulsos, & Marcomannos aliò translatos, *Slavicâ*; *Misnij* Marchionibus suis paruêre semper, *Bohemi* Ducibus suis, ac Regibus omnino diversis; & quamquam Regibus nostris, ùt in *Annalibus Bohemicis*, & *Misnicis* legimus, pars aliqua Misniæ à Cæsaribus donata sit, ex eo tamen minimè sequitur, unâ provinciâ Bohemos, ac Misnios comprehensos esse, non secùs ac nunc, cùm sub *Bohemiæ Regno Silesiam*, *Moraviam* (olim etiam *Lusatiam*) comprehendimus, quæ omnes Provinciæ origine, juribus, legibus, Magistratibus cæterisque omnibus distingvuntur.

Bohemia, & Misnia nunquam una Provincia fuêre.

Fabr. l. 1. in Annal. Urbis Misnæ.

De *Austa* quod objicitur inscitiæ plenissimum est: *Sigismundus* enim Imperator & *Bohemiæ Rex*, ùt omnes historici sciunt, & *Transactio* ipsa versatur in manibus, cùm pecunia bello gerendo non suppeteret, *Duci Misnensi* quasdam Bohemiæ Civitates, *Austam*, *Commotovium*, *Pontum*, *Nymburgum* oppignoravit, triginta millibus sexagenis Bohemicis redimendas; quarum duæ priores, eodem ferè anno à Bohemis sunt receptæ; nunquam aliàs post hæc tempora *Austam* ad *Misnios* pertinuisse invenies, oppignoratio verò ipsa argumentum præbet, *Misniæ Principes*, *Austæ* veros Dominos non fuisse, adeóque *Austam* inter *Misniæ Civitates* nullo pacto posse censeri. Ac sanè miror, cur non

Austa quâ ratione ad Misniæ Duces pervenerit.

Fabric. l. 7. Orig. Saxon

non antiquiorem Urbis *Austensis* oppignorationem (non hanc recentem An: 1425.) novus hic Scriptor attulerit: nam ex *Chronico Aulæ Regiæ* ad A. 1283. discimus: *Ottoni Brandeburgico* Tutori suo, *Wenceslaum II.* ejus nominis Regem, non tantùm *Austam*, sed & *Brixiam*, & arces *Dieczin & Bezdiezy* pro 20. vel (ùt alij volunt) pro 60. millibus marcarum argenti) oppignorâsse; at exinde, ùt dixi, nullum potest probari Dominium.

X. De *Familia Rosensi in Misnia*, tam mira in hoc Manuscripto novi Authoris libro leguntur, ut omnem fidem exsuperent: *Przemyslum Stadicensem* Libussæ maritum ex *stirpe Rosensi* ortum, Principésque omnes ac Reges Bohemiæ ex illa stirpe *Rosarum* descendisse, & *Rosas* in Clypeis gestavisse (quod in sequentibus refellemus) *Boleslaum Dalmanziorum Principem*, qui suppetias *Henrico Aucupi* tulit, *Rosensem* itidem fuisse; *Odoacrem Herulorum Regem* in Rosenbergica familia natum, *Ursinos Rosenses* in Italiam intulisse; *Ursinos* ipsos sic dictos quòd in familiam *Beringerorum* adoptati fuissent; ab his verò *Beringeris Berkas & Berensteinios* nostros descendere, qui unum tantum *Ursum* gestârint in Clypeo; at quàm insigniter fallatur hic Scriptor cùm de Illustribus Bohemiæ familijs agemus, liquebit; nunquam enim ab omni memoria, & nullo Scriptore assentiente, *Bercæ* nostri *Ursum* gestârunt, & *Berensteinij* non Ursum, sed *Urum* cum aureo in naribus *Circulo* vel *Anulo* ferebant, ideòque Veteribus non *Berensteinij*, sed per τὸ P *Persteinij* vel *Prstenij* ab Annulo (qui nobis est **Prsten**) appellabantur; serò, primùm ante Annos forsitan centum aut ducentos proximos, appellationem Slavicam *Prstenij* in Pernsteinios detorsère, ut ex *Paprocio*, aliisque Stemmatographis suo tempore & loco probabo. Sed ille prorsus intolerabilis, & genti nostræ nimium injuriosus est error, quo nobis *S. Adalbertus* eripitur, & *Misniacus* indubiè fuisse asseritur, contra omnes omnino Scriptores etiam S. *Adalberto* coævos, quales erant, qui vitam SS. Præsulis scripsère, *Silvester Papa*, & alter S. *Adalberti* ipsius in Cœnobio Condiscipulus apud *Surium*, nec non vicini eorum temporum *Leo Ostiensis*, *S. Petrus Damiani &c.* ut nostros omnes, *Germanos & Polonos* Scriptores prætercam, qui omnes unà cum *Cardinali Baronio*, S. *Adalbertum* in Bohemia natum affirmant, ejúsque fratres *Libicij in Bohemia* ab Ethnicis peremtos testantur. At Scriptor novitius errorem accumulans erroribus, negat ullum in Bohemia *Libicium* inveniri, & apertè *Libicij* loco, vel *Lubecam* maritimam Urbem, vel aliud aliquod in Misnia *Libicium* substituit. Quid igitur toti antiquitati, quid *Cosmæ* vicino illorum temporum & alijs *Libicium*, & fluvium *Cydlinam & Templum Beatissimæ Virginis* disertè nominantibus (quæ omnia hodieq; unà cum Oppido ipso *Libicio* non procul *Podiebradio* supersunt, visuntur, & nos ipsi vidimus) quid ipsi Sanctissimo Præsuli *Adalberto*, qui in Victoria *Sobieslai* adversus Cæsarem *Lotharium* Vexillum Patris sui Slavonici ex *Libicensi* Ecclesia in Bohemia afferri jussit ad prælium, quid omnibus nostris Historicis respondebit? nolo tam fædam hallucinationem refellere, nè quid suspicionis certæ veritati ipsa aspergat refutatio.

C. 5. Vandalo boh. & C. 18.

Errores alij Scriptoris novi.

C. 19.

C. 19.

C. 20. & C. 6.

C. 22.

Paproc. in ... culo Mor... mit.

S. Adal... tum in ... hemia ... defend...

CA-

CAPUT XVII.

Czechorum Bohemorum à Czecho denominatio brevissimè defenditur. Adferuntur novæ Novi Scriptoris de Origine nostræ Gentis sententiæ; videlicet: Czechum & Lechum imaginarios & fabulosos esse; si veri sunt, vixisse circa A.C. 814. Neklanum Ducem Bohemiæ, ipsum fuisse Czechum; Przemyslum Stadicensem Libussæ maritum Odoacrem Herulorum Regem fuisse, qui Romam occupârit; Stadicium esse Arcem Statz in Austria; eundem Przemyslum ex stirpe Rosenbergensi Misniaca ortum, & omnes Bohemiæ Reges ex Misnia & stirpe Rosensi descendisse, & Rosam gestasse in Clypeis; aliáque hujusmodi pronunciata contra omnium omnino Scriptorum torrentem.

Czechi cur à Czecho dicti.

MAjores nostros à *Czecho, Czechitas*, sese aut *Czechos* appellare solitos, atque etiam hodie appellari, nemo unus est qui nesciat: seu quòd à *Czecho* Duce primitus indicti in *Bohemiam* sumus, seu quòd *Czechus* primus apud nos regnârit, seu quòd adducto novo *Slavorum in Bohemiam* populo, Veteres, Novósque colonos Imperio conjunxerit, amantissimus subditorum, & æquè ab ijs amatus; quo merito gens universa charissimi Ducis nomen assumserit, *Czech* enim quisque dici patriâ voce gaudet, hoc sese nomine jactat, hoc magnificè gloriatur. Et sanè genti novæ novum aliquod nomen necessarium fuit, ut à *Boÿs* (qui ex Gallia venerant) *Bohemiam* olim incolentibus discerneretur; itaque sub *Czechorum*, aut *Czechitarum* appellatione à prima gentis origine ad hæc usquè tempora, nullo litem movente, continebamur; repertus est tandem (ùt antè dixi) qui *Czechus* ipse, sed origine *Misnius*, appellationem hanc à *Czecho* ortam oppugnaret, novúmque nomen inderet (vide monstrum verbi!) *Wandalo-bohemorum*, quam vocem in nullo unquam Scriptore inventam, neque fando auditam, primus ipse confinxit; sed hæc jam satis refutata mittamus. Neque unum illud nomen dedisse contentus (ut fæcunditatem inventionis in historia possis noscere) *Herulos* deinde fecit ex nobis, & *Przemyslum Stadicensem Bohemiæ Principem*, *Odoacrem Herulorum* & Italiæ Regem creavit. Non opus clamores tollere, res enim vel proposita, velut turris aut paries, ad perpendiculum non exactus, sponte concidat necesse est; sententiam igitur novitij Scriptoris (historiam sine ulla Veterum authoritate, solo ingenio, velut poëma conderet, scribentis) adferamus. *Czech si quis unquam fuit* (vellet hic author, ut apparet, Czechum nullum fuisse dicere, ideo sæpe *Czechum imaginatum* barbarè vocat, & *Lechum* fratrem ejus fabulosè nuncupatum, postea tamen quasi victus universæ gentis consensu, quæsivit, cui aptè hoc nomen tribueret: *Czechus* inquit, *si quando in has oras advênit, non ex Illyricana Dalmatia, sed ex Misnensi venisse censendus est*; *ignarus aliquis pro Daleminzia Dalmatiam accepit;* unicum pro re tanta Scriptorem adducit, eúmque innumeris alijs scatentem erroribus (ut notum est) *Crantzium*, qui in *Vandalia* sua Bohemos irrideat, quòd se è *Dalmatia* ortos existiment, C. 5.

In Præfat. & P. 1. C. 5.

Nova de Ducib⁹ Czecho & Lecho ſententia.

ſtiment, cùm ipſi contrà in *Dalmatiam* poſt A. C. 583. tranſierint. *Czech, & Lech* pergit; *non fuêre propria virorum nomina, ſed agnomina tantum ab Iſthmi duobus oppidis Cenchris & Lecheis derivata* (in hanc rem nulla ratio, nulla authoritas adfertur) *Czechus & Lechus paulò ante Annum Chriſti 814. vixêre, cùm enim Reiiſnerus affirmet: Vitikindum Magnum Saxoniæ Ducem (quem Carolus Magnus bello vicit) ſecundam uxorem habuiſſe Svatavam Czechi Itrziceſcorum, ſeu quòd idem eſt Bohemorum Ducis filiam, neque alius in hiſtorijs noſtris Czechus reperiatur, & Witikindus circa illa tempora vixerit, hoc probato conſequens eſt: Czechum ejúsq; fratrem Lechum paulò ante An. C.*

C. 16. & C. 17.

824. (nota C. 17. ponit annum 780.) *vixiſſe; idq; ex eo confirmatur maximè, quòd Bohemi nunquam ante Caroli Magni Imperium (qui ab anno 768. uſq; ad 814. regnavit) Czechitæ, aut Czechi ab ullo Scriptore nominati leguntur. Itaque & Lechus ille Bohemorum, in bello adverſus Carolum, ductor, ſine dubio frater Czechi fuit. Porrò cùm Czechus ille, Bohemiæ Ducis titulum habeat, ac circa An. C. 814. Neklan Bohemiæ imperitârit, veriſimile omnino haberi debet, Neklanum Bohemiæ Ducem alio nomine Czechum appellatum, eundemq; omnino hominem fuiſſe;* ſed in hoc poſtremo Novitius hic Author ſibi non ſatis conſtat, cùm enim ante Cap. 5. dixerit, ſuſpicari ſe: *Czechos & Lechos* in bello contra Carolum Magnum, per teſſeram militarem nuncupatos, tum primùm hoc nomen accepiſſe; ſi *Czechus* ſeu *Neklan* Bohemiæ imperavit, ab eò *Czechitæ* dici poterant *Bohemi*, nec opus erit ad teſſeram militarem confugere.

Odoacer Italiæ Rex nō fuit Przemyslus Stadicenſis.

Jam ex hoc uno ingenti errore in alium ut fit, longè etiam graviorem Scriptor noſter delatus eſt, cùm ex *Przemyslo* Bohemiæ Principe Stadicenſi *Libuſſæ* marito *Odoacrem Italiæ Regem*, Primus ſine ulla authoritate tentavit efficere; omnem decumani hujus erroris apparatum evolvam breviſſimè: Principiò Cap. 3. certum & fixum eſſe vult: *Przemyslum* Stadicenſem Bohemiæ Principem, fuiſſe aliquem *Dynaſtam* illuſtrem *Miſniæ*. Hoc loco (quia authoritate deſtituitur) rationē adfert unicam, quòd *Principes Bohemiæ* olim aliquas habuerint in *Miſnia* ditiones, ſine dubio à *Przemyslo* ſuis ſucceſſoribus Bohemiæ Principibus hæreditate relictas. Nec minùs indubitatum, & certum facit: *Herulos Slavicam* gentem fuiſſe, & in *Auſtria* inferiore habitaſſe (iſtud ab eo nullo argumento uſquam, aut teſtimonio probatum invêni) eoſdem *Herulos* cum *Vandalis* Cap. 18. confundit, qui olim *Pomeraniam* incolentes à fluvio quodam *Pan, Pani* ſeu *Heruli* dicti ſint, poſteáque nomen dediſſe *Panoniæ*.

C. 18.

C. 6. & C.

Negamu[s] Herulos [Sla]vicam fu[iſ]ſe gente[m]

Item perſvaſiſſimum ſibi eſſe: *Ottokarum* ſeu *Odoacrum* etſi aliàs Regem Herulorum, ex *Roſenbergica* ſtirpe in Miſnia prodijſſe, qui An. 476. Italiam, & *Urbem Romanam* occupârit, ibique *Romæ*, ſuæ ſtirpis veſtigia reliquerit, gentem clariſſimam *Urſinorum*; id ante ipſum ſenſiſſe *Petrum Albinum*; adducit etiam pro hac ſententia *Blondum & Crantzium*; ſed omnes hi tres, tam dubiè ea de re loqvuntur, ut interpretatione, & ratiocinatione opus ſit, ſi velis eos in hanc ſententiam detorquere, ùt jam dixi. *Bohuslai Lobkovicij* verò, quam pro ſe allegat, authoritas, ad rem propoſitam minimè pertinet, cùm id quod de *Ottogaro V.* Bohemiæ Rege *Bohuslaus* ſcribit: cum ſcilicet gloriari ſolitum: *quòd Regni ſui limites ab Adria uſquè ad Oceanum in Pruſſiam protuliſſet*, & ùt ajunt Sacræ Literæ, *dominaretur à mari uſquè ad mare* (quam Regis Ottogari vocem referunt plurimi Scriptores) iſte de *Odoacre Herulorum Rege* interpretandam neceſſariò exiſtimet, cùm *nullus veriùs & juſtiùs iſtud dicere & gloriari potuerit*, inquit, *quàm Odoacer Rex Italiæ & Herulorum*. Tum conatur oſtendere

C. 18.

Odoace[r] Herulor[um] Rex an [...] ſenſi ſti[rpe] ſit ortus

C. 20.

Hagek. D[...] vius. Stra[...] Campan.

dere *Przemyslum* (ut quidam Scriptores docuerant) rusticum non fuisse, & *Stadicium* (quod *Przemyslo* historici tribuunt in Bohemia, velut sedem natalem) esse sine dubio arcem in *Austria* sitam *Statz* nomine (ille de suo addit: ante fortè vocatam esse *Staditz*) unde *Breineri* (quod ad propositum nihil omnino facit) ejus Arcis possessores **die Edle Herren von Statz** appellentur; Ex his conjecturis denique confici *Przemyslum Stadicensem* Bohemiæ Principem ex familia *Rosenbergica* ortum, qui & in *Misnia* & in *Austria* plurimas terras ditione tenuerit, eundémque *Herulorum Regem* fuisse, & altero nomine *Odoacrem* appellatum: congruere ipsa tempora: nam noviter repertas quasdam Memorias affirmare *Przemyslum Stadicensem* Bohemiæ
C. 20. Principem obijsse circa An. C. 499. & circa ea tempora quoque *Odoacrem Herulorum* & Italiæ Regem è medio esse sublatum. Non procul ab hac sententia abludere *Petrum Albinum*, qui *Odoacrem Misniacum* fuisse suspicetur, *Crantzium* verò dubitasse, & vel *Austriacum*, vel *Bohemum* ex conjectura affirmasse. Cùm autem à *Przemyslo* certum sit omnes *Bohemiæ* Duces ac Reges descendere, & *Odoacrem*, seu Przemyslum ex Rosenbergicis fuisse sit probabile, sequitur *Bohemiæ Reges* & Principes proculdubio ex *Stemmate Misnico Rosenbergicorum* & ipsos prodijsse; hinc aliquos ex Regibus nostris *Odoacres* seu *Ottogaros* appellatos vel eo nomine genus *Odoacri* profitentes; neque se dubitare, quin Veteres *Bohemiæ Reges Rosas* in Clypeo tulerint; id apparere in *Brzevnoviensis Cœnobij* Fundatione, ubi in Sigillo *tres Rosæ* conspiciantur, quæ S. *Adalberti* Fundatoris esse non possunt. (nam ille unam tantùm *Rosam* ferebat, ùt habet *Paprocius*) reliquum esse, ùt illæ *Rosæ tres* ad *Boleslaum* Pium Bohemiæ Ducem pertineant. Hanc Regum nostrorum cum Rosensibus cognationem agnovisse tacitè *Wenceslaum VI.* Bohemiæ Regem cùm *Juditham* filiam *Rynaldo Ursino* in conjugem petenti dare non recusaret.

ReˋsBohe miæ Rosas in Clypeo tulisse nemo unquā dixit.

Hactenus tota illa fabulosæ & poëticæ inventionis Œconomia, quam ego multis Capitibus comprehensam, & non satis cohærentem, ex varijs libri illius *Vandalobohemici* locis excerpsi & ordinavi, ex qua illud conficitur tandem (quod artificiosè dissimulatur) Reges Bohemiæ ex Misnia ortum habuisse, & ab ea familia, quæ in Misnia Rosas gestat descendisse, adeóque familiam Scriptoris, quòd ex ea Reges prodierint, regiam esse, & hac prærogativâ plerasque alias illustres familias dignitate exsuperare. Jam ad refutationem accedamus: duo præcipuè affirmantur: *primo* de *Czecho* præposterum: eundem *Neklanum* vocatum; *alterum Odoacrem Herulorum Regem* Przemyslum fuisse Libussæ maritum, quod utrumq; ita paradoxum (nè dicam magis) est, ut putem nemini unquam historicorum rem tam ridiculam in mentem venisse, ac si etiam venisset, quin continuò velut apertum errorem, judicio damnârit; à *Czecho* faciamus initium.

CAPUT XVIII.

Czechus non fuit Neklan Princeps Bohemiæ, neque eſſe potuit; quod Pauli Diaconi (qui ante Neklanum vixit) invicto teſtimonio probatur. Czechi jam Anno C. 520. magna Gens, Romani Imperij Provincias ac nominatim Illyricum fatigant bellis. Slavi è Sarmatia primùm effuſi in Dalmatiam (non Daleminziam) exinde Bojohemiam tenuerunt. Crantzij & Blondi nulla eſſe debet in rebus Bohemorum percenſendis authoritas.

Czechum non fuiſſe Neklanum Ducem Bohemiæ probatur.

PRimum, quod intorquebo telum, tam penetrabile & tam certum eſt, ut eo univerſa illa Conjecturarum Acies configatur: Si Czechus Bohemiæ Princeps (à quo gens noſtra appellationem Czechorum, vel Czechitarum accepit) unus & idem Princeps fuit cum Neklano; igitur Czecho ſeu Neklano apud nos circa An. C. 814. regnante, Czechitæ primùm dici cœperunt: hæc propoſitio quam adfero, ab illo ipſo authore primùm eſt prolata, ut Capite ſuperiore dixi, & rejici nullo pacto poteſt; at verò Czechitarum nomen ex Hiſtorijs longè eſſe antiquius oſtenditur; igitur etiam Czechum (à quo genti nomen) antiquiorem eſſe oportebit, ac proinde non Neklanum, ſed à Neklano diverſum. Iſtud igitur, ſi demonſtravero, vici.

Pauli Diaconi authoritas facit pro nobis.

Paul. Diac. l. 4. C. 7. de geſtis Longobar: Velſ. l. 3. rer. Boicar. Munſter. in Coſmogr. l. 3. C. 365.

Paulum Diaconum apud *Welſerum* audiamus: An. 595. *Thaſſilo Rex Bojorum* (ejus nominis primus, Thaſſilonis II. abavus) *Slavos graves perpetuò, & infeſtos vicinos, bello aggreditur: quorum, præter Zechorum nationem (quæ aliquando Sarmatiâ effuſa Bojohemum tenuit) alia Quarentanorum, ſeu Carentanorum Dalmaticis oris progreſſa, Norici partem ad Hadriaticum ſinum vergentem inſidens, Boicam premebat. Partâ victoriâ, maximam omnis generis prædam domum retulit.* Audisne *Zechorum*, vel *Czechorum*, ut nos ſcribimus, Nationem? Eadem habent de hoc bello *Hermannus*, eadem *Sigebertus*, quamvis illi *Behemannos, Bohemos* noſtros appellent.

Herman. & Sigeb. in Chro.

Adelzr. p. 6. n. 15.

Audiamus *Adelzreitterum: hos qui à Thaſſilone devicti ſunt Paulus Diaconus Slavos appellat, quos* (Nota) *trans Iſtrum ortos, in Illyricum, aliâsq; Romani Imperij Provincias, Juſtiniani Imperatoris ævo* (qui An. C. 527. Imperium auſpicatus eſt) *irrupiſſe Procopius & Jornandes meminerunt.* Ergo jam in tantum Slavi trans Danubium ad hanc partem noſtram creverant, ut ſuperato Danubio, paulò pòſt An. 527. in Illyricum transferre bella poſſent? quid hoc *Pauli Diaconi* ampliſſimo teſtimonio evidentiùs eſſe poteſt? *Czechitas* nominat An. C. 595. ampliùs ducentis ante *Neklani* Principatum annis; nam inter omnes conſtat, ipſo etiam Novatore affirmante: *Neklanum* circa An. C. 814. *Bohemiæ* primùm imperitaſſe. Quo igitur pacto, ſi *Neklan* idem cum *Czecho* fuit, ante *Czechum Czechitæ* ſunt appellati? ac nè *Pauli Diaconi* authoritatem elevare, & in dubium revocare quiſpiam poſſit, noverit is: ipſum *Paulum Diaconum* ante *Neklanum* vixiſſe, & circa annum Chriſti 760. hiſtoriam Longobardorum *Ticini* concinnâſſe, & longævum ætate, poſt An. 774. ut ex *Leone Oſtienſi* probat *Cæſar Baronius*, *in Cœnobio Caſſinenſi* in Dominio quieviſſe. Præter ea notari à Lectoribus meis cuperem: inprimis *Paulum* antiquiſſimum Scriptorem dicere: *Zechitas è Sarmatia* adveniſſe, non

Procop. l. [...] bello Got[...] Jornand[...] reb. Geti[...]

Pauli D[...] coni æt[...] antiqu[...] Neklan[...]

Leo Oſt. Chron. [...] l. 1. C. [...]

Baron. [...] nal. Ec[...] A. C. 7[...]

non ex *Miſnia;* deinde diſertè nominare *Dalmatiam*, unde *Slavi* progreſſi ſint & oram ad Hadriaticum ſinum vexarint, non *Daleminziam*; deniq; jam tunc ijs annis) etiam ante Annum 590.) magnam fuiſſe in ijs partibus Slavicarum nationum potentiam, qui premere potentiſſimos *Reges Bojorum* auderent; & ſub *Juſtiniano* poſt An. C. 527. Romani Imperij Provincias infeſtare; undè meritò *Zechorum* nationem, & aliam *Carentanorum* appellat; ſanè intra paucos annos, nè intra ſæculum quidem, nationem aliquam fundari, ac tantùm populi viribus augeri, & multiplicari poſſe exiſtimo, ut ſub ipſum adventum, & primis initijs, vicinos vexare, & tantum timorem incutere poſſit, ut ad eam coërcendam bellum ſuſcipere *Rex Taſſelo* cogeretur. Rectè igitur, ut in ſuperioribus ex *Cromero*, *Velſero*, *& Weleslavino* docuimus: *Czechi* in Bohemiam adventus longè priùs, & ſæculis aliquot ante *Neklanum* ponendus eſt, ac proinde *Neklanus à Czecho* neceſſariò dividendus. Quid ad hoc *Pauli Diaconi* teſtimonium Adverſarius reſpondere poſſit, equidem non video: ſubtracto ſolo tota moles, quæ ſuper incumbit, concidat neceſſe eſt: *Chronologia* omnis hiſtoriæ Lydius quidam eſt Lapis, cujus examen ſi malè hiſtoria ſuſtinet, ex hiſtoria fabula, ex obryza veritate metallum adulteratum, & aurum comicum eſſe agnoſcitur. Id quod in omnibus libris meis eâdem ſententiâ, ac propè iiſdem verbis jam ſæpius inculcavi. Videant Lectores, quæ in fine Capitis noni, hoc ipſo libro de *Slavorum* noſtrorum (& *Zechorum in Slavoniam*, in *Carinthiam*, in *Illyricum*) colonijs jam ante annum Chriſti 600. deductis ex optimis Scriptoribus, ac præcipuè *Bollando* noſtro recitavimus, quibus omnia hæc, quæ novus author confinxit, confodiuntur, & prorſus jugulantur.

[Margin: Hiſtorica demonſtratio de Czechorum natione.]

II. Sed neque leve apud nos pondus habere debet totius Slavicæ gentis conſenſio, & à Majoribus relicta per manus traditio; nullus unquam Majorum alio ſe nomine quàm *Czechum* aut *Czechitam* jactavit; hunc genti noſtræ nomen dediſſe, hunc in Bohemiam magnâ Nobilitate Slavicâ ſtipatum, Viriſque militaribus, qui ei Socij in victoria adverſus Romanos fuiſſent ſequentibus, adveniſſe, hunc primum apud nos paternè prorſus imperaſſe, & immortale ex eo nomen in poſteris omnibus & ſingulis (nam *Czechum* ſe quisq; Bohemus appellat) meruiſſe, pueri audiebamus. Ejuſmodi certè unius gentis, quid unius dixi? omnium *Slavorum* (nam idem *Poloni*, quorum eadem eſt origo, idem *Ruſſi*, *Moſci*, verbo: omnes qui *Lechos Polonos* fraternam nobiſcum gentem indigitant, & nos *Czechos* agnoſcunt) conſenſus repudiari non poteſt, niſi graviſſima & peremtoria, ut ſic loquar, adferantur documenta; at noſter hic Scriptor ultra conjecturas, attulit nihil.

[Margin: Traditio & conſenſus totius gentis gravem continet probationẽ]

III. Jam ſi etiam ſpectanda Scriptorum authoritas eſt, quem obſecro Novus Scriptor præter ſe ipſum torrenti tot Scriptorum opponet? ac ſi etiam *Crantzium*, *& Blondum* haberet in partibus (quorum verba ut ei conſentiant, interpretanda priùs ſunt ùt ſæpe dixi) tamen quid duo illi de aliena republica, in qua minimum, ùt apparet, fuêre curioſi, ſcribentes, lingvæ noſtræ ignari, ſic ut *Slavos ex Germanis ortos*, *& Slavicam ex Germanica lingva natam* fabulentur (qui decumanus eſt error) ijdem plurimum aliorum errorum pridem convicti, ùt oſtendit multis in locis *Meibomius*, nósq; antè probavimus, quid, inquam duo illi ad totam antiquitatem, & omnis ævi, etiam noſtri, Scriptores? cuperem Lectores meos *Epitomen* noſtram inſpicere, ac potiſſimùm Notas in Libri 1. C. 10. ubi quæ de *Czecho & Lecho*, & eorum in has oras adventu ſcribuntur, innumeris antiquiſſimorum, aut alio nomine clarorum Scriptorum

[Margin: *Meibom: Notis ad l. 2. Witikindi & in l. 3. cùm Crantzius Corbejã & Fuldam confundit.*]

Authoritas Veterũ Scriptorum facit pro nobis.

ptorum testimonis ita firmavimus, ut non impetrare, sed fidem forsitan exigere possimus. *Czechum & Lechum* *Pulkava, Pius II. Dubravius, Hagecius, Cromerus, Velserus, Weleslavinus, Cuthenus, Stransky*, omnes denique alij, Nostræ *Gentis Authores & Duces* fecerunt; quis satis sanus sese ab hac regiâ Scriptorum omnium Veterum & novorum viâ, unius Scriptoris voce, & conjecturis deduci patiatur? at quia non magis fabella cognoscitur, quàm si examinetur per partes, singula ad examen rationis, & authoritatis vocabimus, altero abhinc Capite; nunc *Hagecium* ab eodem novo Scriptore injuriosè sæpius appellatum, & nullo suo merito vapulantem purgare & exculpare aggredior.

❊] o [❊

Animadversio in Caput XVIII. Libri II.

Paul: Diac: l. 4. de gest: Longobard: C. 7.

Welser: in Boicis l. 3.

Defensio Welseri.

Adelzr: P: 1. hist: Bojor: l. 6. n. 15.

loc. cit: C. 9. in fine.

Czecho ingè ante C. 814 in Bohemiam venit.

Ex Slavis Bohemi potentes Czecho citiùs ... nisse p... tur.

MUltum in hoc Capite, ut par erat, tribuimus Pauli Diaconi testimonio ex Longobardorum historia petito, quod ad verbum ita exscripsi, ut in Welseri Boicis inveneram, nihil dubitans optimâ fide citatum; at ecce cùm jam præsens Liber ad Typum datus esset, ac typotheta in eo exprimendo sudaret, Pauli Diaconi historiam diu antè quæsitam, in Bibliotheca SS. Patrum latus invêni, ac propere locum à Welsero adductum inspexi. Res mira! nullum ibi Czechorum nomen, sed Slavorum tantùm, cum quibus An. 595. Thassilo bellum gesserit, deprehendere licuit. Itaque nè Welsero V. Cl. fraudem aliquam impingamus (præsertim cùm ejus nihil interesset fraudem aliquam ea in re, quæ ad Bojorum historiam nihil attineret, committi) necessariò dicendum est: aut Welserum aliud Exemplar Pauli Diaconi, idque copiosiore stylo conscriptum habuisse, aut ejusdem Scriptoris sententiam à Welsero, claritatis gratiâ, paulò latiùs, & copiosiùs adductam & explicatam esse. Cæterùm omnia congruunt, & ab alijs quoque Scriptoribus sic intellectum esse Paulum Diaconum, vel Adelzreitter, cujus verba nuper attulimus, demonstrat, atque insuper ex eo validè satis probatur: quod Scriptores antiqui juxta ac novi, ut Procopius, Jornandes, Suidas, Hermannus, Sigebertus, ipséque adeò Paulus Diaconus, tum ex recentioribus Blondus, Crantzius, Bonfinius, Dresserus, Brunnerus, Besoldus, Wohburgius, Adelzreitter, Bollandus (quos in Capitis 9. fine adduxi) ac tandem omnes Ungarici Scriptores, & qui de Slavonia Ungarica egerunt, disertissimè doceant: Slavos ex Bohemia, colonias circa An. C. 526. in Illyricum dixisse, ac fundasse Slavoniam. Unde si post hæc tempora diu (ùt novus ille Scriptor ponit An. C. 814.) Czechus primò in Bohemiam in auxilium suæ gentis, cum nova Slavorum suorum multitudine & populo ascendisset, non apparet ratio, cur Czechum hactenus ignotum Bojohemi Slavi recipere voluerint, qui prægravante domi multitudine, suos ad nova regna fundanda foras mittebant? deinde quî fieri potuit, ut Gens Slavobohemorum vel ante Czechum sic multiplicari potuerit, ut maximas colonias in Illyricum deduceret, ut Exercitus conficeret, ut in medio hostium Provincias, quas populo priùs impleverat (puta Caranthaniam, Dalmatiam, Slavoniam) armis propugnaret, ut potentissimum Francorum Regem Dagobertum, circa An. D. 637. ut Bollandus ostendit, gloriosissimè commisso nobilissimo prælio profligaret; ac paulò post tamen, nullo prælio, quod sciamus, attrita, nè quidem bello petita, tantùm exhauriri, & ad paucos redigi potuerit, ut à Czecho & ejus populo, nè penitùs periret, defensionem petere, aut ultro oblatam accipere cogeretur?

Jam si primò post Annum C. 814. (ut

(*ùt vult unus ille Scriptor, contra omnem torrentem Scriptorum*) in Bohemiam *cum novo populo appulit, tantámque multitudinem adduxit, ut priorem* Slavorum *gentem, ut ita dicam, devorârit, & in suum corpus, & nomen* Czechitarum, *converterit, éstne satis credibile rem tantam in medio* Germaniæ *gestam, omnes Authores*, Germanos, Francos, Saxones, *jam apertâ eo tempore Exercitibus* Caroli M. *& filiorum ejus* Saxoniâ & Bohemiâ, *silentio præterituros fuisse? cur* Hermannus Contractus, *cur* Anonymus S. Galli Monachus, *cur* Sigebertus, Regino, *& qui* Caroli M. *& filiorum gesta persecuti sunt, & de rebus* Bohemannorum *&* Marahensium seu Moravorum *singulis propè annis jam ab A. C. 789. diligentissimè faciunt mentionem, & bella omnia consignant, tam insperatè per* Czechum *novo Populo auctos esse* Bohemannos *tacuerunt?*

Ex[...]entio aut[...]orum ide[...] probatur.

Tandem si Czech *primò An. C. 814.* in Bohemiâ *vênit, quomodo* Christannus de Skala Brzewnoviensis Monachus (*in vita* S. Ludmillæ *quâ* S. Adalberto *Episcopo Pragensi circa An. C. 990. dedicavit, quæ in* Epitome *nostra excusa legitur, in qua primordia nostræ gentis attingit*) *ignorare potuit, quæ priore sæculo gesta fuerunt? at* Christannus (*primus Bohemiæ Scriptor*) *maximum tempus intercessisse significat à* Libussa *Croci II. filia* (*qui omnium historicorum testimonio longo post* Czechum *tempore in Bohemia regnavit*) *usq. ad* Borzivoium primum Ducem Christianum, *qui circa An. C. 850.* (*ùt in Epitome probatum est*) *à* S. Cyrillo *sacris undis ablutus est. Audiamus* Christanni *verba*: Posthæc invento quodam sagacissimo atque prudentissimo Viro (*Przemyslo Stadicensi*) responsione Pythonissæ (*Libussam intelligit*) Principem seu Gubernatorem sibi statuunt (*Bohemi*) vocitatum cognomine Przemysl, junctâ ei in Matrimonio memoratâ Pythonissâ Virgine; dehinc à suprà memorato Principe ex sobole ejus Rectores seu Duces imposuêre sibi servientes dæmoniorum simulacris, donec ad extremum dominatus ejusdem Regni pervênit ad unum ex ijsdem Principibus ortum, vocatum Borziwoy &c. *Videat quæso, prudens* Lector, *an hæc tam multa, tam exiguo tempore confici potuerint? videlicet: ut* Czechus *An. 814. adveniret, ùt regnaret, ut post ejus mortem decennio vacaret Principatus, ut post* Czechum Crocus I. *pòst*, Crocus II. *Pater Libussæ, deinde ipsa* Libussa *aliquamdiu sola, postea verò cum Conjuge* Przemyslo *aliquot annis imperaret, eâque mortuâ rursus viduus* Przemyslus *per complures annos gubernaret;* tum ex ejus sobole *non unus, sed* plures Rectores ac Duces, donec ad extremum Dominatus perveniret ad Borzivoy (*quem irrefragabiliter ex Annalibus Ecclesiasticis & ex ætate* SS. Cyrilli & Methodij *constat circa An. C. 850.* Bohemiæ *imperasse*) *hæc omnia consensu omnium Scriptorum probatissima, non unum sæculum, sed plura tempora & sæcula (præsertim si cum Scriptoribus nostris omnibus* Undecim Duces Bohemiæ Ethnicos *ante* Borzivojum *numeremus) necessariò requirunt; quæ postea in fine Capitis XX. collatione Chronologicâ Bohemiæ & Poloniæ Ducum magis elucescent.*

[...]rratio [...]hristã[...] vida cõ[...]ra est [...]hum [...] adve[...]

Chr[...]an. in vit. Ludmillæ.

Maneat igitur Welseri Viri Clarissimi *ex* Paulo Diacono *allata authoritas inconcussa; maneat, quod alio loco* Welserus, *& ante eum* Cromerus, *& plerique meliores Scriptores probarunt, & ad* Attilæ *ævum, vel etiam paulò citiùs, (ùt* Codicillus & Weleslavinus *senserunt)* Czechi *adventus in* Bohemiam *referatur; modò tamen & illud semper maneat*: plures Slavorum in has oras migrationes fuisse, *& ad* Venedicum sinum, *etiam ante Christum natum* Venedos seu Slavos *habitasse, ùt ex* Ptolemæo *constat) adeò ut à* Danubio *usque ad* Oceanum *certas Regiones & Provincias (non enim omnes: nam &* Wandalis & Thuringis & Saxonibus, & Herulis *ac cæteris, suus assignan-*

loc. citatis C. 8. & 9:

Multæ & variæ Slavorũ in has oras migrationes necessariò admittendæ.

gnandus est locus) Populi Slavorum *occupârint. Ita nulla vis inferetur historiæ, suum* Czecho *& cæteris Bohemiæ Ducibus tempus tribuetur, denique conciliabuntur omnia; quæ si* Czechum *An. 814. primò venisse ponimus, necessariò concident, & ipsa Principum nomina delebuntur, contra omnium Scriptorum torrentem, & sententiam.*

CAPUT XIX.

Hagecij Annalium Bohemiæ conditoris multiplex, & justa defensio. Hagecius sibi Czechum & Lechum non confinxit. Falsò Hagecio affingi plurima, quæ tantum abest ipse docuerit, ut etiam prorsus contraria tradiderit. Vinum tardè in Germaniam & Bohemiam allatum. Accusatio Hagecij in accusatorem retorquetur. Chronologiæ cura maxima historico esse debet. In migrationibus Gentium nostrarum tria maximè tempora observanda ei, qui historiæ Bohemorum prima fundamenta nosse cupit; Venedi in Septentrione quando & quibus fraudibus deleti. Geronis Marchionis maleficia & injuria in Slavos.

Cùm Scriptor noster, quicum mihi nunc negotium est, præter *Hagecium* paucos, imò veriùs *nullos* Patriæ historiæ Scriptores legerit (quod quàm turpe sit, & errori proximum historiam architectanti, prudentibus judicandum relinquo) ab uno *Hagecio*, qui primùm sub *Ferdinando I.* Annales *Bohemiæ* scripsit, omnia de *Czecho* conficta existimat, hunc omnibus telis petit, qui *fabulando pro more,* ut loquitur, *omnem Bohemiæ historiam pervertetit*: adferamus in exemplum, quæ *Hagecio* imputet, hominique bene de historia nostra merito defensionem aliquam comparemus. In Præfatione: *Hagecius & historiæ omnes nostræ de Czecho & Lecho palmariter hallucinantur; (* alibi *Czechum imaginatum & Lechum fabulosè nuncupatum* appellat) jam in superioribus probatum est, non hallucinari; magnos duces secutus est *Wenceslaus Hagecius.* ut vel si errasset, honestari ejus error possit; at novi Scriptoris conjecturæ sui ingenij auspicijs historiam fingentis, quem habent, quo nitantur, authorem? cur in unum *Hagecium* invehitur, quod in Antiquissimis Authoribus repererat, describentem? fateatur igitur, aut *Hagecium* sine caussa, & injuriosè à se peti, aut se *Hagecio*, nullum vetustiorem legisse, aut calumniam, quam impingit *Hagecio*, in vetustiores convertat. Certè ante *Hagecium*, id est ante *Ferdinandi I.* tempora, *Czechovve & Zechitæ* natio nostra gaudebat appellari, ut nè tantillum quidem ad *Czechi & Czechitarum* nomen *Hagecius* contulerit.

Hagecius omnes vetustos Scriptores secuti oppugnari non potest.

Eodem C. 3. ait, *confinxisse sibi Hagecium, quæ de Bessovv seu Bssovv* (quod nunc Mielnikum dicimus) scripsit. *nam Bzovv vel Bziovv esse in Polonia, non in Bohemia; Patriam sine dubio Abrahami Bzovij.* De Polonico *Bzovv* nihil possum dicere; quod de *Bzovio* dicitur, vereor ut verum sit: potuit à stirpe Bzovius, non à patria nomen accipere; at quod *Hagecius* sibi id confinxerit, palmaris est in sacrum illum Scriptorem, & *Boleslavi-*

ensem

ensem Præpositum calumnia, cùm eadem omnino de *Bßovv*, & de *Mielniko* tradat *Christannus in vita S. Ludmillæ S. Adalberto* nepoti suo dicata circa A. 990. cùm agit de *Comite Slavibore S. Ludmillæ patre Mielnicij Domino*, ex qua eadem stirpe prodière *Comites de Mielnik*, quod pridem ostendi. Eadem de *Bßovv & Mielniko* apud *Cosmam* antiquissimum Scriptorem leguntur, eadem in *Pulkava* sub *Joanne* Rege Caroli IV. Patre scribente; eadem in *Dubravio*, eadem in *Silvio & Cutheno* aliisque, *Hagecio* vetustioribus, quid igitur commeruit unus *Hagecius?*

In [v]iginibus Co[mi]tum de Gu[tt]stein. C. 3. 4. & seq.

Cap. 5. rursus peracerbè perstringit *Hagecium*, quòd non animadverso duarum Provinciarum discrimine, *Czechum Dalmatarum* Principem nuncupârit, & *Czechum è Dalmatia* Illyricana venisse, cùm è *Daleminzia* id est *Misnensi Dalmatia* scribere debuisset. Nullus hic *Hagecij* error; scripsit is quod ante eum omnes *Poloni & Patrij Scriptores* tradiderant, cur unus iste luat, si communis omnium culpa fuit? deinde optimè id dici, nuper probavi, & nemo unus cùm *Dalmatiam* nominari audit, *Misniam* unquam intelliget, sed *Dalmatiam* coronatam & regnum. Denique *Hagecius*, nè semel dixit, *Czechum è Dalmatia* venisse, sed ex *Croatia* (quod apud diligentes Scriptores diversum est) eodem igitur quem alteri impingit, errore novus Scriptor tenetur, qui *Croatiam à Dalmatia* non distinxerit.

In fine ejusdem Capitis 5. unum incessit probris *Hagecium & ignorantiæ puerilis* incusat in *Czecho*, quod tamen ante *Hagecium* omnes Scriptores, nullo prorsus excepto, fecerunt, quos innocenter *Hagecius* est secutus, excusatione, vel si errasset, dignus; taceo, quòd verum scripserit, neque possit nisi cum tota Antiquitate reprehendi.

[..]e bohemi[..] voce Wj[..]ti.

Capite 14. vapulat *Hagecius*: quòd *Czechum* in historia sua, *Bohemiam* sic alloquentem induxerit: **Wjteg Zemè přeswatá!** *cùm*, inquit, *S. Vitus Bohemiæ nondum esset illatus.* Quid hoc tandem negotij est? an verbum **Wjtati**, nisi *S. Vitus* foret, *Bohemia* non haberet? certè Veteres, novique Scriptores vocem **Wjtati**, non à *S. Vito*, sed ab idolo **Swentowito**, cujus religio latè per omnes Septentrionales provincias eâ tempestate fusa fuit, appellant; sed istud ipsum non tam certum est, neque mihi satis probatur, cùm ex *Chronico* Corbejensi (quod vulgavit *Meibomius*) Cænobio illi primùm An. 822. 8. Cal. Septembris initium datum esse constet, & novæ Corbejæ etiam posteriùs.

Narratio de Institutione novæ Corbeiæ edita ab H. Meibomio.

Capite 17. rursus vellicatur *Hagecius*, quasi assereret *Czechum* primum *Bohemiæ* fuisse cultorem; at alia *Hagecij* aliorúmque mens fuit, sciúntque omnes *Bohemiam à Boijs* Galliæ populis nomen mutuari; disertè *Hagecius* Reges ipsos qui ante *Czechum in Bohemia* regnaverint, nomine quemq; suo appellat.

Hagec. præfat. ad Annales suos.

Similis oscitantia est in hujus Capitis fine: *Hagecium*, cum *Czecho Illyricano Dalmata*, *Przemyslum Stadicensem videri confundere;* verba ipsa Scriptoris hujus recito. Admiratione defixus, hæsi, cùm ista primùm legerem: quippe nihil alienius ejus historiæ objici potuisset: *Czechum Hagecius* ex Croatia advenisse putat A. C. 644. at *Przemyslum* ab aratro ex *Stadicensi Villa* arcessitum An. 722. Duces diversos, ipsæ Ducum effigies in *Hageko* diversæ, satis ostendunt, verbum nullum addam.

Hagecio alius est Czechus, alius Przemyslus Stadicensis.

Capite 19. *Ottogari* nomen (quòd totus *Ottoni* studeret) ab *Hagecio* confictum existimat; atqui non modò illam vocis originem coævus *Hagecio Dubravius* Olomucensis Episcopus, sed etiam *Cuthenus*, & longè antiquior *Pulkava*, plurésque alij retulerunt, ùt *Hagecio* inventio illa nullo pacto tribui possit.

Dubrav. l. 15. hist. Boh. Cuth. in Silva.

Capite 21. *Hagecius* reprehenditur, idque duabus ex caussis: *Prima*, quòd Bohemiam cùm *Czechus* ingrederetur

 vacuam

vacuam cultoribus repræsentet; *Secunda*: quòd *vini* usum, *Borzivoy* primi Ducis Christiani temporibus in *Bohemiam* primùm inductum affirmârit. Respondemus pro *Hagecio*: nihil ab eo tale scriptum, imò contrarium: *raros enim incolas Bohemiæ Czecho veniente fuisse* dixit (quod est verissimum, & caussam nuper attuli, cùm de *Marcomannis* agerem) narrátque ad *Czechum* venisse, qui referrent, habitari certis locis *Bohemiam* à gente, quæ peregrinâ lingvâ utatur; inde natam vocem *Niemecz*, quasi *mutos* diceres &c. ibidem responsum etiam *Czechi* Ducis refert *Hagecius*; igitur à *Czecho* primùm habitatam *Bohemiam* non sensit *Hagecius*. De *Vino* Bohemis ad id tempus ignoto pura puta veritas est: tardè in *Germaniam* interiorem vites venêre; à *Romanis Colonys* in Germaniam serò invectas, & primùm ad *Rhenum Domitiani* tempore (qui ab An: C. 83. usquè ad 98. rexit imperium) plantatas docet *Mylius*; suâ ætate caruisse *vino Germanos Tacitus* ostendit, cùm potu ex hordeo, & frumento eos uti, & raros ac tantùm ripæ Romanæ proximos *vinum mercari* scribit; à Rheno, ac fortasse si lubet ex *Græcia*, ut omnis humanitas, perinde *Vites* in *Pannoniam*, ac deinde ad *Moravos*, ab his ad nos propagatæ, colonias paulatim duxêre.

Hagec: præfat. ad suos Annales.

Hagec. in Annal. ad C. 657.

De Vino tardius in has oras invecto.

Mylius in horto Philosoph. C. de Vite.
Tacit. in comment. de Germania.

Capite 23. Novum in *Hagecium* telum torquetur: *nugari illum*, quòd *Rosensium* Stirpem per *S. Adalberti* fratrem in *Poloniam* illatam confinxerit, *cùm*, inquit *ex Paprocio constet plenam fuisse Poloniam Proceribus Rosarum*. In promtu responsio: plena fuit *Polonia Proceribus Rosarum*, postquam est per *S. Adalberti* fratrem illata Stirps, non antè; nam ante *Porejum* nullam in *Polonia Rosarum Stirpem* fuisse, ac nullam nominari posse, ex eodem *Paprocio* constat; ac miror *Paprocium* adversum *Hagecium* citari, qui disertè ex *Papovio*, *Miechovio*, *Dlugossio*, cæterisque *Poloniæ* Scriptoribus demonstrat: omnes illas Vetustas stirpes quæ in Polonia *Rosas* ferunt in clypeis, à *Poreio S. Adalberti* fratre descendere, quod ipsimet *Rosarum Proceres* ultro concedunt; lege *R.P. Simonem Okolsky* Ordinis Prædicatorum de *Stemmatibus Poloniæ*, & vitam & mortem *R. P. Alberti Miecinsky S. J. Cracoviæ* recèns vulgatam.

De Rosarũ familijs in Polonia.

Hactenus accusatio, & defensio brevis *Hagecij*, quem etsi nos in Chronologiam peccantem, aliquando non sequamur, tamen in his, quæ allata sunt, innocenter accusari, & vapulare, neque (cujus insimulatur) finxisse, sed ex antiquis Scriptoribus accepisse, satis, ut reor luculentè demonstravimus. Certè in hac *Hagecij* accusatione illud præstitisse videtur hic Scriptor, quod alicubi Tullius dixit, quódque in consvetudinẽ proverbij venit: *Navim perforare, in qua ipse naviges*; dum enim accusat *Hagecium*, se accusat, & incredibiliter sese licentiosum (nam audacem nolo dicere) ostendit, quòd nullo præterea lecto patrio authore ad *Wandalobohemiæ historiam* scribendam, & ad omnes *Bohemiæ*, *Poloniæ*, & totius *Slavonicæ* gentis Scriptores *palmariter*, ut loquitur, *errantes emendandos*, accedere non dubitaverit.

Hoc unicum & postremum adjicio in his tam varijs, tam antiquis, tam diversarum Gentium migrationibus, quas hoc & proximis Capitibus attulimus, ut *Bojorum*, *Vandalorum*, *Marcomannorum*, *Herulorum*, *Venedorum*, *Slavorum*, *Gothorum*, *Hunnorum*, & si qui sunt alij, ut discrepantes Authorum sententiæ concilientur, summam semper (quando istuc fieri & observari potest) habendam Chronologiæ & Temporum rationem; hæc unica Cynosura est, hæc libella, & virgula quædam divina, quâ æquantur & componuntur omnia: Tria maximè tempora (quod hoc loco rursus repeto) memoriâ tenenda sunt: Ante Christi Servatoris adventum *Boij in Bohemia* habitabant; *Slavi sub Sarmatarum*

Chronologica fundamenta spectanda in historia Bohemorum.

rum nomine ad Paludem Mæotidem, non procul ab his *Hunni*; at *Vandali*, aliíque Germaniæ populi ab *Ostio Vistulæ versus Mare Balthicum*; tum alij populi *Slavorum*, *Venedorum ad Venedicum Sinum*, ut ex *Ptolemæo* diximus (sive isti à *palude Mæotica* processerint, sive contrà à *Venedico sinu ad Mæotidẽ* migrarint, quod non æquè exploratum est) Septentrionalia Maris littora obtinebant; *Marcomanni Moraviam*, *& Bohemiam*, ripámque Danubij; *Quadi*, *Moraviæ & Silesiæ* partem; *Hermunduri* Misniam & *Bohemiæ* septemtrionalis partem; *Heruli* Megalopolitanam provinciam insidebant, omnes hi populi (præter *Venedos & Slavos*) Germani, & *Germanicâ* lingvâ utentes. Successit paulò pòst tempus *Migrationum* novarum & variarum: *Vandali*, *Gothi*, *Alani &c.* desertis terris suis, intravêre *Galliam*, *Hispaniam*, *Africam*, *Italiam &c.* Septentrionales verò terras desertas, (certum tempus defectu historiæ dicere & definire non possumus) *Slavicæ Sarmatarum nationes* (sive rectâ ex *Sarmatia*, quod probabile est, sive per *Croatiam*, quæ tum *Illyrici pars* erat, processerint, sive à sinu Venedico sese extenderint) occupavêre! occupatis jam his terris tertia *Slavorum* migratio admittenda est, eáque Vetusti Authoris, qui de Conversione Carenthanorum circa An. D. 854. scripsit, testimonio confirmatur, verba ejus sunt: *Post Annos Nativitatis Domini 377. & ampliùs, Hunni ex sedibus suis in Aquilonis parte Danubij, & indesertis locis habitantes, transfretantes Romanos expulerunt & Gothos, atq; Gepidas. Tunc verò Slavi post Hunnos inde expulsos venientes, cœperunt istis partibus Danubium diversas regiones inhabitare &c.* vide rursus novam *Slavicæ gentis* migrationem non ab *Oceano*, sed ab *Aquilonari parte Danubij* ascendentium, ùt jam minùs incredibiles priores illæ, de quibus modò diximus, videantur. Porrò in hac tertia *Migratione Hunni* primum *Gothorum* reliquijs loco depulsis in *Pannonias*, postea *Attilâ* duce in *Italiam* irruerunt, Slavis novis *Hunnos* sequentibus, & propiùs ad Nos accedentibus. Tantæ verò inundationes *Slavorum* ut ita loquar, in *Septentrionalem Germaniam* tribus hisce *Migrationibus* factæ sunt, ut præter *Illyricum*, *Moraviam*, *Bohemiam*, quidquid vacuum fuit, & *à Danubio*, *Vistulâ*, *Albi ad Septentriones* porrigitur, Slavorum populi impleverint; *Slavi* erant, suâ, non Germanicâ lingvâ utentes, & quia in Septentrionalibus terris olim *Vandali* (Germani) habitârant (ut *Czechi* quoque à *Boijs*) sic *Slavi* istarum Regionum, à prioribus cultoribus *Vandali* cœperunt appellari, præsertim quòd nativum ipsorum nomen *Venedi*, vel *Vendi*, *Veneti*, *Heneti*, *&c.* à nomine *Vandalorum* non procul abluderet. Ita aucti *Slavi*, Ducibus sese quàm plurimis divisêre (constat aliquando *triginta Slavorum Duces* uno tempore populis illis Slavicis in Septentrione præfuisse) addita etiam nomina sunt populis *Hevellorum*, *Obotritarum*, *Tolenzorum*, *Glomaciorum seu Daleminciorum*, *Vulzorum*, *Redariarum*, *Ucrorum* (qui *Ucranæ* Marchiæ nomen dedêre) & innumera alia, quę *Meibomius & Dresserus* enumerant. Iidem *Slavi* in his tribus migrationibus condidêre Urbes pulcerrimas, *Bremam*, *Vinezzam*, *Rostochium*, *Stetinum &c.* quæ *Slavorum* gesta in *Pomerania*, *Marchia*, *Mechlburgo*, terrisque illis, tum *Miechovius*, tum *Cromerus*, sed omnium accuratissimè *Helmoldus*, & *Adamus Bremensis*, ac in Wandalia sua & Metropoli *Albertus Crantzius* & *H. Mutius* in Germania persequuntur, plurimis Urbibus earum regionum *Slavicè* nominatis.

Hactenus pacificè *Venedi* sedebant, nullo propè nisi *Danis* hostibus pacem inquietantibus usquè ad *Henricum* cognomento *Aucupem*; hic *Slavos* non omnes, sed astutè paucos primùm deinde alios atque alios oppugnavit, sibíque

Hem. in Ge-

Summariũ Slavicarum Migrationum.

Autor Anonym. de Convers. Carenth. apud Marq. Freher.

Cromer. l. 1. hist. Polon. C. 15.

Meibom. in l. 3. Vitikindi.

Witik. l. 1. & l. 3.

Slavi à quo primùm oppugnari cœpti.

que subjecit. Uno in bello *Henrici* adversus *Slavos Rhedarios* gesto, *ducenta Slavorum* millia peremta *Witikindus*, qui ex *proxima Saxonia* hæc videbat, affirmat. Idem fecêre *Othones* ac reliqui è Saxonica Domo Cæsares, idem alij vicini Principes, & Germaniæ populi, ac præcipuè *Gero Marchio* triginta Slavorum Regulis ad convivium, vocatis, & turpi dolo circumventis & necatis (unde illi veteres Rhythmi apud *Meibomium* de Gerone:

In Notis ad l. 2. Witikindi.

Zu Laußnitz erster Fürst war ich,
Dreissig Wendisch Herren tödte ich)

Fabric. in Annalibus Urbis Misnæ l. 1. & in Origin. Saxon. l. 2.

sed justas fraudis suæ pænas dedit *Ulrico* Bohemiæ Principi An. 1015. qui aperto Marte (non sicarij instar) commisso prælio, *Geronem* manu suâ interfecit, *Slavisq;* popularibus suis, ab illo turpiter necatis, ejus sangvine parentavit, rectè *Martem Ultorem* agnosceres. Quanquam an idem ille *Gero* fuerit, dubium me reddit *Chronicon Mansffeldense* apud *Weleslavinum*, quod duos *Gerones Marchiones Lusatiæ* nominat, priorem qui An. 965. decesserit nullâ prole superstite relictâ, alterum qui ab *Ulrico* occisus sit An. 1015. unà cum filio, quod peritioribus, & in historia *Saxoniæ* versatis dijudicandum relinquo.

Weleslav. ad 18. Junij in Calend. hist. Chron. Mansfeld. C. 142. & C. 164.

Fabric. l. 2. Origin. Saxon.

Geronem Fabricius primùm accusat, postea rursus excusat; astu tamen *Geronis factos esse Slavos tributarios* ait, easque fraudes explicat; denique fatali inclinatione omnes *Vendici* (vel populari errore *Wandalici*) Principes deleti, ac populus Slavorum simplex, hostiũ qui successerunt artibus (ùt loquitur *Cromerus*) oppressus, servitutis jugũ accepit, de qua re est insignis querela Gallici Antistitis *Henrici Spondani*.

Crom: in hist: Polon.

Spondan. in Annal: Eccl. ad A. 1228. N. 12.

Consulatur etiam *Dresseri Isagoge* historica, qui omnium disertissimè, & diligentissimè *Slavorum Henetorum & Obotritarum* cruentos interitus, & totum gentis tantæ excidium explicuit; neque modò *Saxones*, & *Misnios & Thuringos ad Slavos* extingvendos conspirâsse invenio, sed *Hollandos* quoque, & *Flandros* adjuvisse; qua de re *Dresserus* hæc habet: *Albertus Ursus* (ex familia Principum Anhaltinorum) A. C. 1142. *factus est Marchio Brandeburgensis, qui cum Sorabis ad Albim in Marchia Brandeburgensi & Saxonia superiore de omnibus fortunis dimicavit; Przemislaus autem Obotritarum Regulus qui Marchiam tenebat, hunc Albertum hæredem instituit. Ab hoc conditæ, vel instauratæ sunt Urbes Berlinum, Bernavum & aliæ; à colonis verò novis Flandris & Hollandis, quos, expulsis Henetis, prope Misnenses & Hercynios ad Albim & Havelum collocavit, appellationes oppidorum Cameraci, Neomagi, Brugæ circa Wittebergam sunt natæ. Pomerania, seriùs paululùm Germanis cessit Anno scilicet 1222. Bogislao II. Stetinensium primo Duce extincto, tum domiti Slavi & Winiti, lingvâque eorum & mores deleti, & Saxones* (verba Dresseri refero) *pro ijs in Pomeraniam infusi.*

Slavorum Populi in Saxonia extincti.

Dress. P. 4. i March: Bran deb. & in Pri cip. Anhalt. e in Megapoli nis & in D cib. Pomeraniæ.

Crantz: l. 2 Wandaliæ, in Metropo

Notabile.

Atque ita Slavi dominatu dejecti omnes illas Septentrionales plagas succedentibus Germanis amisêre; idem ante 400. accidit Silesiæ, idem alijs accidet si quando exterorum multitudine prægraventur. Non dubia tamen Slavi habitationis suæ ad *mare Balthicum* monimenta reliquerunt, & quædam gloriæ suæ trophæa fixerunt: hinc *Pomeranorum Wartislai*, (seu Wratislai) *Swantipolci*, *Sobieslai*, *Radiborij*; & qui postremus Ducum Stetini fuit nostrâ memoriâ *Bogislaus*, in *Mechlburg Primislai* (unde Prinslaviæ in Marchia nomen) *Pribislai*, *Mieczislai*, *Miestevoij &c.* sed de his alius erit scribendi locus, cùm *Pietatem Slavicæ gentis*, *liberalitatem in sacris*, & quendam *Magnificentiæ* Genium pluribus exemplis adstruemus.

Hæc igitur, ùt dixi, *tria tempora* Curiosis Lectoribus observanda sunt, alioquin chaos tam involutum in historicis, legentibus occurret, ut explicare, & quid tenendum sit, scire non possint; valet enim in historijs illud Juris Consultorum: *distingvenda esse tempo-*

tempora, ut concordentur jura, videlicet, ut tam variæ & in speciem contrariæ Scriptorum concilientur sententiæ. Omnia quæ modò attuli, si id nunc ageretur, probatissimorum Authorum testimonijs firmari possent; sed mihi propositum non fuit, de *Slavis* generatim scribere; quanquam facilè animadvertent Lectores, hæc quæ dixi modò, probatis Scriptoribus, quos citavi, quósque adhuc in sequentibus adducam, congruere.

CAPUT XX.

Quidam historici Errores iterum decussi.

Fundatur Regnum Slavicum Dalmatarum. Somniant qui Czechi & Lechi nomina ab oppidis duobus Græciæ Cenchreis & Lecheis deducunt. Expenditur nomen Itzicescorum. Svvatavva Witikindi Conjux Lechi Principis Filia. Series Veterum Bohemiæ Principum. Piascij anhistorisia.

BRomiseram duodevicesimi Capitis fine, particulatim seu per partes recitaturū me & brevissimè refutaturum hallucinationes novi illius, & incerti Scriptoris; elucescet hac ratione magis opinionum inanitas, & refutationibus oppositis evanescet.

Czechum & Lechum è Daleminzia (quæ regio inter *Albim & Chemnicium* jacet, ut ait *Ditmarus*) seu ex *Misnia* venisse, non ex *Illyrico* aut *Dalmatia*, scripsit nuperus Author, ùt jam toties dixi. Quàm hoc audacter asseritur ab illo, tam prudenter & pudenter (quia cum authoritate omnis ævi) negatur à nobis; non opus est quenquam nominare, stant pro nobis omnes omnino, Veteres, Novi, Patrij non patrij, Sacri, & profani Scriptores & quisquis unquam historiam nostram attigit.

Unde primùm Slavi advenerint. Sunt fateor egregij Scriptores, qui *Slavos* statim è *Sarmatia* in has oras venisse suspicantur (in quam sententiam *Cromerus*, & à *Sudetis* inclinant) neq; ego multum repugnaverim id primitus factum (ut primis hujus Libri Capitibus docui) ijdem tamen concedunt fieri potuisse (quod disertè *Cromerus* admittit) ut postea ex *Croatia* ad populares suos in *Bohemiam Czech*, & *Lech* advenerint; sed nullus Scriptorum *Misniam*, aut *Daleminziam* nominavit. Certum & illud est: Si *Slavorum* gens ex *Sarmatia* in has terras rectà advênit, illis migrantibus, *Poloniam, Silesiam, Moraviam, Bohemiam* longè priùs quàm *Misniam* occurrisse. Quid igitur obstat, quò minùs, ut tota sensit Antiquitas, & nos sentiamus? sed *Crantzius* Bohemos post A. C. 583. in *Dalmatiam è Bohemia* transijsse scripsit: quid istud ad rem facit? scio *Slavos Bohemos Dalmatiam* (vel Slavoniam rectiùs) fundasse, ante An. C. 600. armis occupasse, Populo implevisse, vicinásque regiones *Italiæ ad Foroiulium* multum ac diù vexasse, ut tradit *Sigonius*; at inde nihil ad summam conficitur; quin patescet potiùs antiquiorem esse apud nos *Slavorum* originem: utpote qui jam Anno 583. imò & maturiùs, ut Capite IX. probavimus, colonias ex *Bohemia* deducere, armatos Exercitus in hosticum tam procul mittere, ac regiones vastissimas occupare potuerint; quàm sæpe videmus & vidimus, rebus cum tempo-

Crom. in fine libri 7. hist. Polon.

Sigon. de regno Italiæ l. 2. A. C. 640. & 705.

Slavi priùs advenêre in has terras, quàm existiment Hageciani.

tempore mutatis, homines priora sua vota damnare! quid si ad defensionem Veteris Patriæ vocati è *Bohemia in Illyricum* properarunt, ad Veteres Socios, Amicos, & fratres? erant tum tempora, cùm avium æstivarum more, jam huc, jam illuc, terræ melioris amore, aliisque de caussis, contenderent Populi, ut ex *Wolfgangi Lazij* Libris datur satis intelligi. Quò non deductæ sunt olim coloniæ Romanorum? quot suppetunt exempla eo sæculo ad primas, secundas, ac tertias sedes remigrantium Populorum? vide quæ Capitis noni fine attulimus.

Czech & Lech non fuêre propria nomina, sed agnomina. Unde istud quæso probari poterit? equidem súsque déque rem habeo; at illi res hæc non vana est visa: nimirum viam sibi Author munire voluit, ut verisimilius ex *Czecho Neklanum* faceret. quem igitur ex *Lecho* faciet, quem intactum præterivit? raró certè, illo rudi sæculo præsertim in Gente nostra præter nomen, agnomen aut cognomen inveniet.

Fabulosa nominum derivatio Czechi & Lechi.

Czechi & Lechi nomina, à duobus oppidis Isthmi Cenchreis & Lecheis derivata videntur. Dicam cum Plauto: *ait se obligasse crus fractum Æsculapio; Apollini autem brachium.* Quomodo hæc ex tam remoto & intimâ Græcia nomina accepêre? ac si ex *Illyrico Czehus & Lechus* venisset, propiores saltem *Isthmo Corinthiaco* erant futuri, nunc, cùm ille *Czechum ex Misnia* in *Bohemiam* ascendisse confirmet, an probabiliter satis hæc affirmentur, ipse viderit; hæc certè ipsa nomina etiam Eruditissimi hodiéque ignorant.

Czechi Chronologia.

Czechus & Lechus Polonæ & Bohemæ gentis authores paulò ante A. C. 814. vixêre. Nè unus quidem Scriptorum poterit adduci, qui istud hactenus docuerit, nè illo quidem sæculo tradunt vixisse; qui tardissimè *Czechum in Bohemiam* advenisse ponunt, Annum Christi 644. opinantur, qui citissimè An. 278. alij omnes mediâ gradiuntur viâ, & inter 300. vel 400. & 644. divinant; vide *Cromerum*, & quos in Epitome historica nominavimus. At *Reusnerus* affirmat *Witikindum Svatavam Czechi Itzicescorum filiam* in conjugio habuisse. Quid inde? an plures *Czechi* esse non poterant, præsertim si cum Novitio Scriptore dicamus *Czechum* agnomen esse? sed jam pridem nodum hunc alibi dissolvimus, ostensúmque est illis sæculis *Bohemiæ* non unum, sed quàm plurimos parvos Duces imperitâsse; hinc apud *Cosmam* sæpissime plurali numero *Bohemias* leges, & *Provinciam* Slavonicam *Bssovv* seu *Melnicensem*, *Provinciam Lucensem*, *Provinciam Slavorum Caurzimensem*, *Provinciam Lippensem*, *Provinciam Liticensem &c. Provinciam Pragensem*, *Provinciam Varensem*, quas singuli Principum regebant, qui tandem omnes à *Pragensibus Principibus*, ut sic dicam, sunt devorati. Qui bella *Caroli M.* & filiorum ejus descripsêre, quos inter *Hermannus Contractus*, *Sigebertus*, aliique, commemorant quatuordecim *Bohemannorum Principes Christo* nomen dedisse; ad A. 847. Eadem ratione *Czech* ille *Itzicescorum*, regiunculæ alicujus in *Bohemia* Princeps esse potuit, ut opus non videatur *Neklanum* quasi is solus regnârit apud nos, respicere. Ac certè, aut vehementer fallor, aut hoc ipsum nomen huic Scriptori adversatur: notet obsecro, Lector ultimam hujus vocabuli partem *Cescorum*: nam ut à *Lecho Lescus*, ità à *Czecho*, vel *Cecho Cescus* & plurali numero *Cesci* Latinè (Bohemis Cžechowe) derivantur. Vel hodie, cùm adjectivum *Bohemicus* patria voce reddimus, *Czeski* vel *Czesci*, & nos Cžesky / id est bohemicè loqui, dicimus: audiatur in re simili *Cromerus*: *Przemyslus*, inquit, *omnium acclamationibus Princeps renunciatur, & blandum Lesci nomen, gratiosum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam, oblatum accipit.* Credibile

Cromer. l. inst. Besold Synopsi hist. univ. ex Ca. visio.

Examinatur nomen Itzicescorum Ducis.

Cromer. Polon. l. 760.

bile est igitur primum illud dimidium vocis *Itzi* (ita enim scribit *Reusnerus*) significasse differentiam gentis alicujus *Bohemoslavicæ*, aut ipsum Ducis illius nomen, alterum verò dimidium, Generale fuisse nationis vocabulum *Slavo-Bohemorum* seu *Cescorum*. *Svvatavva* igitur *Cescorum* Ducis *Itzi* filia fuit, eorum scilicet Slavorum Ducis qui *Cesci* dicebantur; ita & hoc tempore *Gallobelgas* nominamus, & olim *Wisigothos*, *Ostrofrankos*, *Ostrogothos* ac cæteros nominabant; æquè in rem nostram *Ditmarus*, & *Witikindus*, *Hevellos Slavos*, *Tolenzos Slavos*, *Bohemos Slavos* junctim appellant. Quod si jam tum *Cessi* vel *Cesci* (quæ facilis est apud Germanos Scriptores Slavica nomina pervertentes mutatio, nam & *Czechos Fabricius* ex Veteribus Codicibus Germanorum *Zeschos* & *Cescos* appellat) *Bohemi* dicebantur, cuique apparet antiquius fuisse *Czechi* nomen, à quo videlicet universa gens appellabatur *Cesci*, ac proinde cùm *Czechus* antiquior ille universæ Bohemicæ gentis Dux fuerit, & longè ante 814. vixerit, ut pridem ex *Paulo Diacono* probavi, & omnes omnino Scriptores consentiunt, hic verò alter *Itzus Dux* fuisse legatur, facilè apparet, hunc ab illo diversum necessariò fuisse.

Fric. in Orig. Sax. l. 2.

E IX. M.S.

Est in Bibliotheca Domus Professæ Societatis JESU Viennæ grandis M.S. Codex plenus Genealogiarum authore *Joanne Ludovico König J. U. D.* in quo *Witikindi Magni Conjux Svatava* filia *Itzi Czescorum in Bohemia Principis* fuisse dicitur. Notandum inprimis illud *Itzi Cescorum*, ita ab hoc Genealogista expressum (nullo alio addito nomine) quasi *Svvatava* filia cujusdam *Itzi* Principis *Cescorũ in Bohemia* fuisse dicatur; deinde, non affirmare Königium *Bohemiæ*, sed in *Bohemia Principem*, quod (nisi fallor) longè diversum est. Idem habet ipsemet *Reusnerus*: *Suataua vel Svvaterna Czechi Itzicescorum in Bohemia* (non Bohemiæ) *Principis filia*; nihil denique illa *Czechorum* pluralitas continet novitatis: nam si ille Princeps quisquis fuit, ex *Bohemia* fuit, *Czech* fuit, neque aliter respondere poterit novitius Scriptor, si natio ejus exquiratur, quàm se *Czechum* & Cžesky scire, *Bohemum* esse, & *Bohemicè* loqui; nullum igitur ex *Czechi* vel *Cesci* nomine (cujus illa *Svatava Witikindi Magni Conjux* filia fuisse dicitur) peti potest *de Cechi* ætate argumentum; atque ita universa illa de *Neklano* fabella, quam primus excogitavit, omnino concidit; præterea ut à *Lecho* primi Poloniæ Principes *Lesci* dicebantur, ita à *Cecho*, *Cesci Bohemiæ* imperitantes Principes appellari potuerunt, idque fateri adversarius ipse cogitur, cùm *Czechum*, & *Lechum*, non propria nomina, sed agnomina, & quæ pluribus convenirent, existimet fuisse, atque ita subtracto quasi solo, ruunt omnia. Quid si autem neque tum eo tempore *Czechum* ullum *Principem* vixisse probemus, & falsò citari? tum profectò in ipsis suis, ut ita dicam, castris, adversarius cæderetur. Etsi enim *Reusnerus Svvatavam Czechi* filiam, qui adversus *Carolum Magnum*, ejúsque filium itidem *Carolum* pro genero suo *Witikindo* pugnârit, appellet; alij tamen longè diligentiores, non eum *Czechum*, sed *Lechum* nominant. *Weleslavinus* accuratissimus rerum Bohemicarum Scriptor narrat: *Neklanum* Bohemiæ Principem bellum cum *Carolo M.* ejusque filio gessisse, sed cùm imbecillior & ignavior esset, Duces suos, Principem *Lechum*, vel *Leschum* & quendam *Mildruchum* sibi substituisse; ambos verò Duces in diversis prælijs perijsse. Cum *Weleslavino* facit Vetus Scriptor *Hermannus Contractus*, qui dum hoc *Caroli* junioris bellum annotat, nullum *Czechum* aut *Czechonem*, sed Regem (*Regulum* sine dubio aliquem) Bohemiæ Anno 805. occisum *Lechonem* vocat, cui Anno sequenti, Dux Bohemorum dictus *Miloduch* successerit, isque etiam in prælio sit occisus. *Fabricius* non minùs

Reusner. in Basil. in stirpe Witikindæa.

Lechi non Czechi filia conjux Magni Witikindi fuit.

Weleslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. init.

Fabric. in Origin. Saxon. ad Ducem Sabaudiæ l. 4. init.

nùs diligens Saxoniæ Scriptor, disertê *Svvatavam* non *Czechi*, sed *Lechi* filiam appellat. *Genealogiæ Witechindianæ* Carolo Emmanueli Duci Sabaudiæ dedicatæ, fragmentum est hoc:

Witechindus **Magnus.**	Uxores ejus duæ I. *Geva* Siwardi Regis Daniæ Soror. II. *Svvadava Lechi* Ducis Bohemiæ filia. ex hac

Witechindus author stirpis Budseciæ.

Et pôst: *Svvatava Lechi Ducis Bohemiæ, item Soraborum & Daleminciorum Principis filia; ex qua prodijt Witichindus prima stirps Marchionum Misnensium.* Quid apertiùs dici potuit? nec istud affirmat Genealogistes aliquis, sed *Saxoniæ* nobilissimus Scriptor. quid si *Lechus* iste ex *Bohemiæ Ducibus* ortus, non tamen *Bohemiæ* toti imperârit, sed *Daleminciæ*, eâque de caussa ejus nomen Annales nostri prætereant? confirmatur suspicio hæc mea, vel ex eo, quod adjecit *Fabricius* (Orig. L. 5. in *Witechindo* Juniore) *hic* inquit (scilicet Witechindus Junior) *factus est Præfectus Soraborum, & possessiones maternas* (Nota *maternas*) *Zorbecam, & Budseciam, inter Salam & Albim* (his igitur in locis *Lechus Svatavæ Pater* imperabat) *retinuit, séque Soraborum Landvoitum, Zorbecæ Burgravium, & Budseciæ Dominum nuncupavit.* *Bunting* in Historia Brunswicensi: *Svvatavam* alteram Magni *Wedekindi* conjugem natam ex *Bohemiæ* Ducibus agnoscit, sed patrem non nominat; eam verò genuisse *Wedekindum*, vel *Witikundum* Juniorem, *Wenedorum & Soraborum Dominum, Comitem in Wethin, Purgravium in Zorbek*, à quo *Hugo* magnus, & hodierni Reges *Franciæ*, item *Landgravij Thuringiæ, Marchiones Misniæ*, & hodierni Duces *Saxoniæ* descendant. Antiquiorem *Saxonum* cum gente *Vendorum* conjunctionem adducit idé author, *Dieterici Saxoniæ Regis* conju-

Bunting. in Wedekindo Magno.

Bunting. in hist. Brunswic. in Dieterico.

gem *Dobram* Ducissam *Vendorum* appellans, cujus *Dobræ* gentilitius Clypeus *Uri Caput* coronatum cum Anulo haberet; sed hæc postrema nihil ad Bohemiam. *Dlugossus* Polonus & *Gvagninus* ex *Martino Gallo* referunt: *Lechum*, seu *Lechonem* principem in cruento prælio cum *Carolo* (*Caroli* M. Imperatoris Romani filio, *Notho*) quem pater contra *Polonos & Bohemos* Saxoniam bello vexantes cum exercitu miserat, in *Silesia ad Oderam* occubuisse, idque actum esse anno primo, quarto vel quinto post octingentesimum; neque illum *Lechum Czechi* fratrem appellant, sed *Cromerus* secundum, *Gvagvinus* tertium ejus nominis *Lesconem* vel *Lechum*. Suffragatur omnis historiæ scientissimus *Besoldus*, neq; in hoc bello ullum *Czechum*, sed *Lechum*, vel *Lechonem* nominat, qui à *Caroli M.* filio Carolo sit occisus; citátque in eâ sententiam *Reginonem* ex Vetustis, *Calvisium* ex recentibus historicis. *Blondus, & Sabellicus Leonem Bohemorum Ducem* ab hoc *Carolo* interfectum esse scribunt, sed nullum per ea tempora, ait *Cromerus*, *Leonem apud Bohemos regnasse comperio, nè Lechonem quidem.* Apud Polonos *Lescus* regnavit, quem *Gallus & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem vocant. Facilis est autem Lechonis in Leonem commutatio. Nihil vetat credere, Polonis pariter & Bohemis* (*Exercitibus videlicet*) *eum præfuisse.* Hæc postrema ex *Cromero* descripsi. Nullus istorum quos modò nominavi Scriptorum, nè semel quidem, *Czechum* in his *Caroli M.* bellis adversus *Slavos, & Saxones* gestis nominavit. Habet igitur *Lector* quod dubitet, addo: & quod miretur, tam dubio scilicet & labili fundamento, Scriptorem, contra quem nunc agimus, totam illam Inventionis suæ machinam, quâ luminibus omnium primorum Scriptorum obstruere conatus est, inædificâsse.

Gvagnin: Lescone III.

Lechus n[…] Czechus cisus in p[…]lio.

Besold. in S[…] psi hist. Un[…]

Blond. De[…] lib. 1. Sabellic. En[…] ad. 8. lib. 9. Cromer. lib. hist. Pol. in Scone II. Mutius de[…] man. l. 9.

Bohemi nunquam ante Carolum M. Czechi aut Cechitæ sunt appellati. Istud

Cap. 18. dirui *Pauli Diaconi* ante hæc tempora viventis authoritate, quem *Welserus* citavit. Hæc una probatio, victoria est, & ut absint alia omnia, sole meridiano clariùs ostendit: malè *Neklano* timidissimo, & stolido Principi tribui, quæ *Czecho Duci* primo gentis universæ, viro fortissimo & suorum amantissimo tribuuntur; ob quam caussam gens universa ex ejus nomine *Czechitarum* appellationem sibi sumsit. Cæterò *Neklan* (nihil pugno) *Czech* dici potuit, quia *Czechiæ* id est Bohemiæ imperavit; sed non *Czechus* ille de quo agimus, *Lechi frater, Dux gentis & author;* quem longè ante hæc tempora vixisse certissimum est ex Ordine *Poloniæ & Bohemiæ Principum*, quem subjungo ex optimorum Scriptorum authoritate, usque ad *Neklanum Caroli M.* tempore (ab An. C. 804. imperantem) deductum:

Brevis Genealogia Poloniæ & Bohemiæ Principum veturstorum.

Weleslav. in Geneal. Prin. Boh. Dubrav. Hagek. Sylvius. Cuthenus. Miechov. Decius. Cromerus, &c.

Czech Bohemiæ Princeps, senior *Lechi* frater ⊖ 85. vacavit Imperium Annis X.

Crocus I. Dominus in Wladorz Bohemiæ Princeps.

Crocus II. Bohemiæ Princeps.

Libussa Croci filia ⫝ Przemysli I. Domini Stadicensis.

Nezamysl Princeps Bohemiæ.

Mnata Princeps Bohemiæ.

Vogen Princeps Bohemiæ.

Wnislaus Princeps Pragensis. — Wratislaus Princeps Lucensis.

Neklanus Princeps Pragensis.

Hostivitus Neklani filius, Princeps Bohemiæ, cujus ⫝ *Miloslava*.

Borzivoius I. Christianus Princeps Bohemiæ, ⫝ *S. Ludmilla* Comitissa de Mielnik.

Wratislaus Princeps Bohemiæ ⫝ ejus Drahomira.

Boleslaus Sævus. ⊖ 967. S. Wenceslaus Princeps & Martyr.

Daubravvka vel Dambrowka ⫝ Mieczislai Principis Poloniæ.

Lechus Princeps Poloniæ; *Czechi* Frater junior.

Duodecim Duces, seu *Palatini* simul imperantes Poloniæ.

Crocus Poloniæ Princeps.

Lechus secundus Princeps Poloniæ.

Venda Principissa Poloniæ.

Duodecim Palatini iterum.

Przemyslus sive *Lescus I.* Princ: Polo:

Lescus II. Princeps Poloniæ.

(hic Lescus, vel ejus filius Lechus III. à Carolo Notho occisus circa An. C. 804.)

Lescus III. Princeps Poloniæ.

Piastus Civis Crusswicensis Princeps Poloniæ, ⊖ ætatis suæ anno 120.

Semovit vel *Zemovit* Princeps Poloniæ imperavit annis 32.

Lesco imperavit 30. annis, Princeps Poloniæ.

Zemomysl Princeps Poloniæ Anno 921.

Mezek seu *Meczislaus* Princeps Poloniæ Christianus ⫝ Daubrawka.

Boleslaus Chrobry I. Rex Poloniæ Anno 999. ab hoc descendunt *Veteres Poloniæ Reges* usq; ad Casimirum II. qui ⊖ sine posteris virilis sexûs A. 1370. hinc etiam ortum trahebant *Duces Silesiæ, & Mazoviæ.*

Reliquos *Principes Bohemiæ* adducam in Tabulis Genealogicis *Przemyslææ* ſtirpis, uſquè ad *Wenceslaum III.* Regem Bohemiæ, qui An. 1306. ſine liberis deceſſit. Polonos Principes ac Reges, totámque eorum ſucceſſionem, ac Genealogiam invenies apud *Miechovium* ac *Cromerum;* quam totam nuperus Scriptor *Piaſecius* confudit, aſſerens *Piaſtum Poloniæ Principem Juliani Cæſaris* temporibus (id eſt circa Annum Chriſti 363.) vixiſſe; quod ego exiſtimo ſuſtineri non poſſe, cùm omnes vetuſti æquè, ac novi Scriptores Poloni & noſtri: *Mieczislaum*, ſeu *Meſconem* Principem Poloniæ & *Dambrovcæ* maritum, filium *Zemomysli* (pronepotis *Piaſti*) fuiſſe affirment, conſtétque ex omnibus hiſtorijs Eccleſiaſticis: *Mieczislaum* paulò ante Ann: Chriſti 965. Religionem Chriſtianam ſuſcepiſſe; igitur *Piaſecio* incumbit probatio, ut demonſtret: quomodo fieri potuerit, ut intra trecentos annos, quatuor tantùm *Poloniæ Principes* numerentur? plures certè neque in ſua, neque in ulla *Polonorum* hiſtoria reperiet Piaſecius.

Piaſecius in Chronico ad A. 1587.

Piaſecij difficilis chronologia.

(✠)

CAPUT XXI.

Przemyslum Stadicenſem non fuiſſe Dynaſtam Miſniæ. Miſnæ Urbis breves & ſummariæ alienationes & donationes Principibus Bohemiæ factæ. Heruli non fuêre Slavorum populi. Odoacer Herulorum Rex qui Romam cepit, non fuit Bohemiæ Princeps Przemyslus Libuſſæ maritus. Principes & Reges Bohemiæ non ſunt orti ex Miſniacis, multóque minus è Roſenſi Miſniaca ſtirpe.

EAndem tenebo rationem, & viam de *Odoacre*, quam modo in *Czecho* tenebam; abſurdæ & falſæ opiniones quæ in toto non ita patent, diviſæ partibus, magìs eluceſcunt, & deprehenduntur faciliùs.

Przemyslum Stadicenſem, Dynaſtam aliquem *Miſniæ* fuiſſe affirmat. Aſſerenti imcumbit probatio, præſertim ſi adversùs antiquorum authoritatem aliquid ſtatuatur; contrarium omnes Scriptores ſenſêre: ab aratro vocatum, & villam *Stadicz in Bohemia* ad fluvium *Bielam* coluiſſe, *Chriſtannus Monachus*, ex illo *Przemysli* ſangvine ortus, ad *S. Adalbertum*, ſcripſit; idem *Coſmas*, *Pulkava*, *Silvius*, *Weleslavinus*, aliíque omnes æquè commemorant. Extat hodiéque villa *Stadicz in Bohemia & Przemyslai* coryletum; villæ illius Domini non plus tributi ab omni ævo pendunt, quàm *Nucum* illius arboris in Regum noſtrorum Coronationibus menſuram. Vidimus iſtud in *Coronatione Ferdinandi III.* Sunt in eam rem aliquot Veterum *Bohemiæ Regum* diplomata, quæ in *Epitome* noſtra ex *Goldaſto* attulimus, & vidiſſe inter Privilegia Regni Caroli IV. ea de re literas *Silvius* teſtatur; non igitur *Miſnenſis Dynaſta*, ſed *Bohemus Agricola*, aut ſi mavis, unius *Villæ in Bohemia Dominus*, *Przemyslus* debet haberi.

Przemyslo Stadicenſis villæ Dominus in Boh. ad Bilinã.

Chriſtan. in Vita S. Ludmillæ.

Silv. in l Boh. C. 6

Duces Bohemiæ in Miſnia ditiones habuiſſe hæreditate à Przemyslo acquiſitas. Neque iſtud ſubſiſtit. Quas, quæſo, ditiones, agricola, unius villæ in Bohemia Dominus relinquere in *Miſnia* potuit? habuêre, fateor, diu

In Miſn nihil pri tùs hæri tarium cibus n ſtris.

pòſt

pòst ditiones in *Misnia* nostri Principes, sed jure armorum, non successione. Primus *Przemyslus, Dobrosul,* seu *Hallas Saxoniæ* post An. C. 490. occupavit, ut habet *Weleslavinus. Boleslaus II.* Bohemiæ Princeps An. 978. *Misnam* Urbem astu capit duce *Vangione*, quam duodecim annis tenuit, *Ottone II.* Cæsare multum invito, & indignante. Vide *Fabricium, Chronicon Mansfeldense*, ac *Weleslavinum.* An. 1067. *Henricus IV. Imperator Misnam Wratislao Duci Bohemiæ* donat, qui ad regionem in officio continendam, non procul *Urbe Misnâ* arcem munitissimam condidit *Hvvozdiecum* appellatam. Hæc habet *Cosmas* in Annalibus Bohemiæ, *Fabricius* in Misnicis, *Chronicon* Mansfeldense, *Weleslavinus & Hagek.* Et certè nunquam, ut ex historicis nostris & Regum literis satis constat, alium juris titulum in *Misnam*, quàm *donationes Cæsarum* vel arma, Nostri Reges allegarunt, quæ omnia *Dresserus* confirmat. Distinctiùs ista, & suis divisa temporibus in *Fabricio* leguntur, qui *Misnam* Anno 978. à *Vangione* captam An. 990. ab *Echardo Marchione* ejectis Bohemis, receptam; rursus A. 1010. à *Bohemis* occupatâ Misnensi Arce, *Bohemis* redditam, eodémque anno (civium conspiratione) *Bohemorum* præsidio dejecto, liberatam; mox *Duce Bohemiæ* cum exercitu veniente, Civibus punitis, Exulibus restitutis, in *Bohemorum* potestatem venisse commemorat. Brevì pòst iterum *Misnam* hostium astu amisêre *Bohemi*; recuperata est ab *Henrico III.* Imperatore, & *Wratislao Bohemiæ Duci* tradita Anno 1067. rursus ab *Ecberto Turingiæ Marchione* recepta. A. 1076. atq; iterum An: 1078. à *Wratislao I.* Rege Bohemiæ vindicata. Castrum illud *Gvozdecum* vel *Hvvozdecum Wratislaus* Dux Bohemiæ An. 1098. in alium locum transtulit, locus tamen hodiéque nescitur. Plura de his in *Fabricio* ad A. 1130. 1157. 1193. 1213. 1247. 1272.

W[…]law. in Ge[…]al. Prin. Bo[…] Fa[…]c. in Misni[…]. Ch[…]. Mansfel[…]C. 146. W[…]law. in Ca[…]dario hi[…]stor[…]d 31. Ma[…]ij & 14. Ju[…].

Fab[…] l. cit. Ch[…] Mansfel. C. […]5. We[…]aw. ad […] lij. Ha[…] f. 140.

Dre[…] in Misn. […] Isagog. hist. […]erbo: Mi[…]a.

Fab[…]. in Annal[…] Urbis Mi[…] lib. 1.

Mi[…]æ Urbis [o]ccupatio[ne]s à Bo[…]he[…]s.

Tot bellis, tantóque pro *Misna* conatu, id tandem *Bohemiæ Reges* à Cæsaribus Romanis consecuti videntur, ut ijs in terris *Vicariatus Imperij* ad eos pertineret: *Wenceslai Bohemiæ* Regis titulum ad A. 1290. recitat *Fabricius*: *Wenceslaus DEI Gratiâ Rex Bohemiæ, Dux Cracoviæ & Sendomiriæ, Marchio Moraviæ, S. Romani Imperij per terras Misnensem Orientalem & Pleisnensem Vicarius Generalis.* Sed de *Vicariatu Imperij* plura in Regibus nostris adferentur. Istud de *Misnia* probabile est temporarium fuisse, nam eundem titulum 1296. *Henricus Naßavius* postea gestit.

Herulos Slavicam gentem fuisse, in Austria Inferiore habitasse; eosdem fuisse cum Wandalis; à fluvio Pan dictos; nomen dedisse Pannoniæ. Omnia hæc Scriptoribus omnibus adversantur. *Heruli*, ait Dresserus *gentis Gothicæ populi*; quis verò tam peregrinus in historia, qui *Slavos à Gothis* toto cælo diversos ignoret? Bonfinius: *Heruli, ut Albanius testis est, ad Mæotidis paludes ac silvas quondam habitabant, quibus ab amore silvarum, stagnantiúmq; locorum nomen est inditum. Hermanaricus Herulos cæso Alarico Rege perdomuit.* Idem lib. 7. *Heruli & Turingi, exercitûs Attilæ reliquiæ, qui superatis & fugatis Hunnis, ad Danubij ostia consedêre; post Attilæ mortem Anno ferè vigesimo, Odoacre Duce Italiam adoriuntur. Pannonias Ostrogothi incoluerunt.* paulò pòst: *Rugorum ac Turingorum Rex Odoacer appellatur.*

Heruli & Wandali diversi.

Dresser. Isag. hist. P. 5. init.

Bonfin. hist. Ung. Dec. I. lib. 2.

Pannoniæ certè antiquius est nomen, quàm *Herulorum*, quos novus Author *Pannoniæ* nomen dedisse confinxit, aliud etymon *Pannoniæ in Bonfinio* leges. *Münsterus quoque* in *Cosmographia* l. 2. C. 63. est in nostris partibus: *Theodoricus Rex*, inquit, *qui ex Gothis fuit multo labore Odoacrum, qui ex Hunnis erat, tandem interfecit.* Sed quid consectamur rivulos, cùm fontes ipsos adire possimus? audiamus

Bonf. Dec. 1. lib. 1.

De Herulis.

mus *Evagrium* libro 4. historiæ Ecclesiasticæ Cap. 19. *iisdem temporibus scribit Procopius, Herulos qui tempore, quo Anastasius* (imperavit Anastasius ab An. 491. usquè ad 518.) *Romanum rexit Imperium, Danubium trajecerant, à Justiniano benignè & humanè tractatos, & magnâ pecuniæ vi donatos, omnes ad unum Christianam Religionem recepisse.* Id factum annotat *Baronius* An. C. 527. quorum fideli operâ *Justinianus* in bello adversus *Persas* est usus. Gemina omnia de *Herulis* commemorat *Nicephorus Callistus.*

Niceph. Callistus l. 17. hist. Eccles. C. 13.

Notet Lector: *Herulos ad Danubii ostia* (id est ubi in Pontum Euxinum exonerat sese) consedisse; omnes item ad *Christum* An. 527. traductos & *Christianos* fuisse, denique vicinos *Imperio Orientali* habitasse, sic ut *Constantinopolitanis Imperatoribus* militarent; quę omnia quàm aptè *Misniis & Bohemis, & Austriacis* conveniant, & quo pacto *Odoacer* istorum *Herulorum* Rex *Przemyslus Stadicensis Bohemiæ Princeps* esse potuerit, judicent prudentes. *Chronicon Noribergense* incerti authoris per mundi ætates divisum: *Hæc dum apud Romanos geruntur, ostendit sese à vetusto cladium Imperii fomite novus turbo: siquidem Heruli, & Turingi Odoacre Viro acris ingenii Duce sibi constituto, ab inferioribus Danubii ostiis sunt profecti; fuerunt autem hi Heruli & Turingi, Exercitûs Attilæ reliquiæ, qui Hernaco* & *Durich Attilæ filiis à seipsis, aliisque populis prælio superatis, apud Danubii ostia consederunt. Ipsi itaq; Italiam ingressi, &c.* pergit deinde *Author Odoacris* in Italia gesta percensere; *Ingressus Odoacris* in Italiam A. C. 475. à *Baronio* collocatur. Ex his omnibus satis intelligitur, *Herulos* neque in *Austria* inferiore, neque in *Pannonia*, sed ad *inferiora Danubii ostia* (non utique ad fontes) habitasse, cùm eos *Odoacer in Italiam* duxit. non tamen inficior, paulò ante *Odoacris* tempora, *Herulos Pannoniam* tenuisse; *Wolfgangus Lazius*: *Romani limitem Danubii tueban*tur *adversus frequentes Sarmaticarum, & Germanicarum nationum incursiones. Ex Germanis erant Marcomanni, Quadi, Boii, Heruli, Longobardi &c. ex istis Daci, Jepidæ &c.* Imò & *Vindobonæ* (quæ hodie *Vienna* dicitur, ut ostendit eruditissimus *Lambecius*) *Herulorum Reges* Aulam & regiam stationem sibi fixisse, *Vita S. Severini* docet qui circa An. C. 464. Christo gentem illam lucrifaciens Barbaros Reges induxit, ut duas intra Urbem *Basilicas* extruerent, quas postea *Avares & Longobardi* sunt demoliti. At olim *Herulos*, primo, *Meckelburgensis* regionis habitatores fuisse & *Rugis* confines, *Münsterus* ostendit. Vides à *Lazio* insigni Scriptore *Herulos Germaniæ* populis accenseri? item *Viennam* jam tum ad Principum sedem delectam, quod C. 18. *Vandalobohemiæ* pertinacissimè negatur.

sextâ ætate f. 141.

Notandum.

Baron. in Annal. Eccl. ad A. 475.

Wolfg. Lazius in Vienna.

Munster in Cosmogr. l. 3. C. 42.

Sur. in Vita S. Severini ... pim.

Munster Cosmograph. l. 3. C. 478.

Odoacrem ex Rosenbergica Stirpe prodiisse, quam etiam Italiæ intulerit. hoc à nemine, quod sciam, traditum inter conjecturas relinquamus, aliam tamen eámque longè antiquiorem *Ursinorum* in Italia memoriam celebrat *Joannes Baptista Ferrarius* noster, & *Ernestus Brottufius* eximius Anhaltinorum Principum, ac universæ *Rosenbergicæ, & Ursinæ* Domûs Genealogistes, cujus sententiam de *Ursinorum in Italiam* adventu alio in loco probavimus.

Odoacer Herul... Rex ...sis non fuit.

Ferrar. ... in funebr. ... Ursini ... habita. Ernest. Brottuff. in ... log. Anhaltin. Syntag. de familia C. de Gutstein & in Stemmatograph. ...

Ex his conjecturis conficitur: Przemyslum Stadicensem Rosenbergicum, eundem alio nomine Odoacrem Herulorũ Regem fuisse, qui Romam occupârit. Parvus error in principio maximus est in fine, ait Aristoteles; sanè ex conjecturis incredibilibus, nihil aliud quàm conjectura similis elici potest, eóque imbecillior, quòd comprehensio, ut Philosophi docent, debiliorem partem necessario sequatur. quid igitur obstat, quò minùs *Przemyslaus* noster *Odoacer Herulorum Rex* per nostram sententiam fiat? obstant innumera. *Primò* an satis credibile est tanto ha-

Odoacer nullo facto fuit Przemyslus Stadicensis.

ctenus

ctenus arcano istud de *Odoacre* pressum latere potuisse, ut nunc tandem post annos mille ducentos & amplius, uni Scriptori patuerit? cur *Nostri Scriptores* rem tantam, & ad gentis nostræ gloriam maximè pertinentem tacuerunt? cur nullus omnino Veterum seu *Græcorum*, seu *Latinorum de Odoacre* agentium, *Bojemiam & Bojemos* (gentem jam pridem *Ptolemæo*, *Straboni*, *Tacito*, *Vellejo* notam & sæpius appellatam) nominavit? *Secundò* tam varia sunt, quæ in his duobus Ducibus occurrunt, ut conciliari à nemine possint: *Odoacer natione Italus*, *Orestis militiæ Præfecti armiger*, ut *Procopius* testatur, aut quod *Trithemio* placet, *natione Rugius*, *sive Saxo Teutonicus*, captâ Româ Italiæ Regem sese constituit An. C. 476. & An. C. 493. interfectus est; *Przemyslus* An. C. 455. Princeps conjugio *Libussæ* creatus est. decessit An. 499. Ita *Weleslavinus*; quod si *Hagecium* sequamur An. C. 722. *Przemysli Stadicensis* initia ponentem, jugulabitur omnino nova isthæc de *Odoacre* sententia. *Przemyslus* ab aratro ad Principatum vocatur; *Odoacer* ex Attilæ militia, à reliquijs Exercitûs ejus Dux Italicæ & Romanæ expeditionis constituitur; *Przemyslus* Deorum inanium unà cum universa gente cultor & paganus (constat enim inter omnes, longè post hæc tempora *Borzivoium primum* ex Bohemiæ Ducibus *Christo* nomen dedisse, ut *Christanus* vicinus eorum temporum narrat) at *Odoacer Christianus*, & Christianis imperans, licet sectâ *Arianus*, ut ex *Ennodio & Engipio* coævis Scriptoribus demonstrat *Cardinalis Baronius*; *Przemyslus* imperij sedem *Bohemiam*, *Odoacer* Italiam habuit; res ipsæ gestæ alterius ab altero sic discordant, ut nihil esse dissimilius possit; *Przemysl* quietam ad extremum egit vitam, *Pragæ* decessit senio (quippe nonagenarius) *Odoacer* biennio *Ravennæ* obsessus, tandem Anno 493. factâ cum *Theodorico Amalo Gothorum Rege* pace, ad epulas fraudulentè vocatus, unà cum filijs interemptus est; *Przemyslò* filij tres fuêre, ex quibus senior *Nezamyslus* consensu omnium Scriptorum, post Patrem regnavit; *Odoacris* progenies tota extincta est; *Heruli* cum Duce suo *Odoacre* ab inferioribus *Danubij ostijs in Italiam* ascenderunt; *Przemyslum villâ Stadicensi* ortum, pòst *Principem*, *Amazonum* domestica bella distinuerunt, nec nisi in vicinissimos *Bojos*, aut *Saxones* ferrum strinxit. *Odoacer* Ravennæ tumulatus, *Przemyslus Pragæ* sub Wissehrado ad rivum *Boticensem*, cujus postea tumulum & aliquot sequentium Principum, post multa sæcula repertum, Annales nostri commemorant; denique ut verbo absolvam omnia, præter *hominum & Principum*, quas gessêre personas, & *cælum* quod imminebat utrique, & *terram* quam calcabant vestigijs uterque, & *aërem* quem hauriebant uterque, nihil usquam habuêre commune.

Ad extremum Novitij Scriptoris assertum aliquando veniamus: *Reges nostros à Rosensibus Misniacis descendere*; hic est totius libri meta & scopus, ut ex *Misnia* & ex *stirpe Rosarum*, atque adeò ex familia sua, *Bohemiæ* Principes, ac Reges descendisse credantur. Si *Przemyslum*, ut tota retro sensit antiquitas, ab aratro ad Imperium vocatum; & *Stadicensis* agri Dominum (quam ob caussam agrum illum *Vetusti Bohemiæ Reges* immunem publicitus esse voluerunt) faciamus (quod ipsi Reges semper agnovêre) evanescit omnis de *Rosensibus* suspicio. Nemo unquam in Regum nostrorum vetustis Clypeis *Rosam*, aut *Rosas* vidit. Vidi *Przemyslææ gentis* Principum, ac Regum effigies vetustissimas ab Annis 600. & 700. non paucas in *Sigillis literarum*, ut mos erat, expressas; sedent in solio cum *vexillo Bohemiæ*, in quo *Aquila*, aut *Leo* (ab An. C. 1160.) spectatur;

Rosas in Clypeis nũquam gesta vêre Przemyslææ stirpis Principes.

ctatur;

ctatur; ponè folium à dextris *tres lineas* in scuto, parte sinistrâ *Leonem*, aut *Aquilam* videbis.

Antiquissimæ omnium sunt *Boleslai Pij* ex stirpe Przemysli *Breunovienses* literæ in *Bohemia*; nullas habent *Rosas*, sed *lineas*, ut testatur, qui vidit *Paprocius*. Vidi *Brzetislai Achillis Bohemiæ* complures literas, *Wratislai Henrici* Interregis, *Wladislai*, *Przemyslai Ottogari I. & II. Wenceslai I. & II.* & aliorum ex eadem gente Principum ac Regum, in Cœnobijs *Georgiano*, *Brevnoviensi*, *Cladrubiensi*, *Doxanensi*, *Teplensi*, *Zabrdovicensi*, *Tißnoviensi*, *Pontensi*, *Pustomiricensi*, & quaedam in *Archivis Ecclesiarum Wissehradensis*, *Cathedralis Olomucensis*, *&c.* nunquam, nè semel, animadverti *Rosas* Regibus nostris apponi, semper aut *lineas Ssvvihovianas* (cùm integrum Stemma depingitur) aut *Leonem*, aut *Aquilas* multiplices *Moraviæ*, *& Silesiæ* Regionum. Malè autèm ex *Cœnobiorum Insignibus*, Fundatorum Insignia, *Campum* (ùt vocant) Colores, rerúmque numerum, ac cætera ejusmodi peti, pridem docui, cùm de *Guttensteiniana Familia* tractarem; variant enim sæpe, neque ad vivum & veritatem, cum *Fundatorum Clypeis Cœnobiorum Clypei* congruunt, ut innumeris constat exemplis, atque ut aliqua in patria nominem: *Rosæ Cœnobiorum Trebonensis & Altovadensis à Stirpe Rosensi* magnificè conditorum, prorsus à suorum *Fundatorum Rosâ* discrepant, magnúmque est inter eos Clypeos, *rosarum* situ, numero, ac colore, atque universâ picturâ discrimen. Adde: quòd aliud est, *Abbatum & Præpositorum*, aliud *Conventûs* ipsius Insigne, utrumq; tamen sæpe ad Fundatoris Clypeum alludit, hinc etiam illa diversitas nascitur; neque facilè *Cœnobium* inveneris, quod ad unguem Clypeum exprimat *Fundatoris*; hæc ad *S. Adalberti Rosam*.

Syntagmate de Originib. CC. de Guttensteï.

Hactenus *Czechi & Przemysli* Imperium, quod *totius gentis consensus* pridem stabilivit, *authoritate* Veterum Scriptorum, æquè ac Novorum, tum *Chronologiâ* & ratione temporum firmavimus, nè Regni totius ipsa fundamenta labarent, essentque incerta; jam post pugnam, parto velut otio, pacatè, quæ supersunt, trademus.

CAPUT XXII.

Summa, & quoddam totius Libri II. Corollarium, in quo quid nobis de Czechi & Lechi fratrum in has oras adventu verisimillimum videatur, exponimus.

Diffiteri non possum, in hac tractatione de *Czecho* mea (quod præcipuum libri hujus argumentū fuit) me satis perturbatè, ac confusè in multis esse versatum; ut in me quodammodo aptissimè quadrare videatur, quod apud *Senecam Patrem* de obscuro Oratore legimus; qui cùm obscuritatem Orationis *spinosâ* ut dicebat, *materiâ* excusaret, quam calcare oportuerit, subjecit alius: *pedes tui spinas non calcant, sed spinas habent*; ita ego in hac tractatione processi: sæpe adversantia dixisse videri potui (quia ex alieno sensu, non ex meo scribebam) sæpe eundem Scriptorem reprehendi, atque iterum laudavi; eadem multis locis repetij, quæ sapienti semel dicta satis erant; eadem sæpe exstruxi, quæ postea dirui: nimirum eadem omnibus contingunt cùm dubitamus, aut quærimus; *quo teneas vultus mutantem*

In LL. Controversiar.

tem

tem Protea nodo? Qui rem ante oculos heri jacentem anxius aut iratus quærit, neque tamen reperit, omnia sumit in manum, multa excutit, pleraque abjicit & ex manibus cadere finit; itáque fit, ut longè magis, quàm antè jacuerant, incomposita jaceant, & chaos quoddam chartarum creetur in pluteo. *Ne sirint hoc boni superi!* ut antiquè loquar. Claritatem in omni vita & in oratione consector; ideóque statui totam hanc de *Czechi Ducis, & Slavici Populi* in has oras adventu disputationem brevi & compendiariâ viâ relegere, & articulatim summam quandam ex omnibus conficere, ut sub unum aspectum legentibus offerantur omnia, rebúsque prolatis, quid verisimillimum, aut vero propius (nam quis in re tam remota, obscura, ad quam solæ conjecturæ perveniunt, in librorum necessariorum inopia, & Scriptorum antiquorum silentio, certi aliquid allaturum se possit promittere?) ut inquam, quid verosimillimum sit, quid contrà inverisimile, videant Antiquitatis & Originis nostræ curiosi, ac planè intelligant.

Sl[…]i in hac pa[…]e Euro- pa[…]dventi ti[…]est Po- pu[…]s.

ARTICULUS I. In primis habetur pro certo universam gentem *Sarmaticam & Slavicam* (quocunque eam nomine appelles; *Henetorum, Venetorum, Venedorum, Vinnulorum, Czechorum, Lechitarum &c.*) hanc inquam gentem *Slavicam* in *Illyrico* seu *Croatia, Dalmatia, Slavonia &c. in Slavica Ungaria, in Moravia, & maximâ Poloniæ ad nos obversâ parte, in Silesia, Bohemia, Lusatia, Marchia Ucranæ, Brandeburgia, Mechlburgi, olim etiam in Pomerania*, & litoribus, quæ Venedico sinui, & Oceano Sarmatico prætenduntur, denique in omnibus hisce magis occidentalibus (respectu *Sarmatiæ*) partibus *Europæ*, trans *Danubium, Vistulam & Albim*, adventitium esse populum, & desertas ab Germanorum populis *Gothis, Rugijs, Herulis, Wandalis*, aliisque innumeris (quorum nomina apud *Bonfinium, Lazium, Ptolemæum, Cluverium, &c.* leguntur) provincias occupâsse. De *Henetis*, & tota maritima ora contra *Italiam* dicetur Capite sequenti; de *Illyrico*, eíque conjunctis provincijs dictum est antè. Quod nos contingit, de *Bohemia* id facilè probatur: quia circa Christi Servatoris nostri Nativitatem certissimò, ex illorum temporum coævis Scriptoribus habemus, in hac nostra patria *Bojos & Hermunduros*, deinde *Marcomannos Sueviæ* populum habitâsse. Idem est de *Moravia, Silesia*, & anteriore *Polonia*, in quibus *Wandali* (ad ostia Vistulæ) tum *Quadi, Elisij, Osi, Lugij*, & milleni alij degebant. De *Venedis* ad mare *Sarmaticum* communis est sententia; sed ego quid sentiam Articulo 3. cum Lectore meo communicabo. universaliter hoc assertum nostrum ex eo probatur: quòd *Sarmaticæ*, & Slavicæ gentes, non in his Europæ terris, sed in *Asiatica, & Europæa Sarmatia*, ad *Paludem Mæotidem*, & ad *Pontum*, primas & antiquissimas sedes habuerint, atque in ulteriorem *Europam* necessariò commigrârint. *Sarmatiæ Europæa* descriptionem apud *Ptolemæum* l. 3. Cap. 5. *Asiaticæ* l. 5. Cap. 9. invenies.

Bonfin. Dec. 1: l. 1. & 11.
Lazius LL. 8. de Migrat. gentium.
Ptolem. in Geogr
Cluver. in Germa: antiqv. de Illyrijs C. 3. p. 22. 23.
de his C. 2. 3. 4.
Slavi ex Sarmatia Europæa & Asiatica prodiêre primitus.
Ptolem. Geogr.

ARTICULUS II. Postquam *Sarmatæ*, vel præ gravante domi multitudine, vel calidioris cœli, & fœcundioris telluris caussâ, vel coacti à populis sese mutuò eâ ætate propellentibus, vel alijs de causis, sedibus primis egressi sunt, retinuêre satis diu, primum *Sarmatarum* nomen, sed postea occupatis quibusdam provincijs, alia nomina & appellationes indidère sibi, vel ab alijs inditas assumserunt. Qui non procul ab origine sua processerant, *Roxolani, Russi, Moscheni, Mosci &c.* qui prope Græciam, & oram Italiæ, *Heneti*, vel *Veneti &c.* qui in *Septentrione ad Mare Sarmaticum* consederant, *Venedi, Vindi, Vinuli &c.* qui inde propiùs ad Meridiem & ad nos, *Vagri*,

Slavorum diversæ appellationes in varijs terris.
C. sequenti hæc probantur.

gri, *Obotriti*, *Reregi*, plurimísque aliis nominibus quæ C. *6.* alibíque sæpius retulimus, sunt insigniti; atque inter hæc universale nomen *Slavinorum* vel *Slavorum* exortum est; quidam è *Slavis*, antiquis Provinciarum nominibus se contexêre, ùt *Illyrij*, *Dalmatæ*, *Croati & Liburni*, *Carni*, *Bohemi* (quamvis hi sese præterea *Czechos* patriâ voce indigitent) *Lechorum Provincia*, *Polonia* dicta est, regníque ejus inclyti provinciæ alijs aliísque nominibus appellantur; *Slavi* tamen & origine *Sarmatæ*, sumus omnes.

circa An. C. 500.

Sarmatarũ migratio ad Mare Oceanum.

ARTICULUS III. Existimo primas *Gentis Sarmaticæ* migrationes ante omnia in vicinas provincias, & præsertim commerciorum gratiâ, ad *Oceani Sarmatici* litora, tum alio tempore, aliâq; viâ in *Mysiam*, *Daciam*, & conterminas regiones factas esse; (commorationem apud *Jonios*, & inde ex *Asia minore Henetûm in Italiam* navigationes, consultò prætereo. Vide quæ C. IX. attulimus ex *Sabino*, & quæ C. sequenti adferemus) Neque eæ migrationes ad *Venedicum Sinum* adverso *Danubio*, vel per *Moraviam* (& priùs per *Mysiam*, *Daciam*, & *Jazygum Metanastarum fines*, & *Pannoniam &c.* multóque etiam minus per *Bohemiam* fieri potuerant, sed viâ proximâ ex *Sarmatia Europæa* processêre ad *Mare*, quod ab illis *Sinus Venedicus & Oceanus Sarmaticus* dici cœpit. Sume quæso Lector in manum, quisquis es, *Ptolemæi* (vel cujuscunque demùm probati Scriptoris) *Geographiam & Europæ* Tabulam VIII. inspice, dabis manus; imò *Sinus* ille totus, & litora à *Venedis* insessa, *Sarmatiæ Europææ* apud *Ptolemæum*, pars & portio fuerunt, sic ut ad *mare Sarmaticum*, & *Sinum Venedicum*, non *Migratio Sarmaticæ & Venedicæ Gentis*, sed quædam tantùm promotio, & extensio, nihílque ampliùs dici possit. Porrò *Venedos* vel *Venedas ad Sinum Venedicum* in litoribus, Germaniam versùs, habitantes, longè ante Christi D. adventum *Oceani Sarmatici* littora, & maritimas provincias occupâsse, certissima ex *Ptolemæo* probatio est: qui, cùm sub *Adriano & Antonino Pio* floruerit, obiéritque Anno Christi 147. (non ùt nuper properans senili memoriâ fallente scripseram An. C. 300.) ísque apertissimè testetur: ætate suâ (quod etiam *Tabulâ VIII. Europæ* expressit) *Venedas ad ostia Fluviorum Vistulæ*, *Chronis*, *Rubonis*, *Turanti*, & *Chersini* (id est ex Moletio: Weixel, Passar, Perger, Memel & Cank) quà in mare influunt, habitare, & jam tum *Venedicum Sinum*, & *Sarmaticum Oceanum* appellet, non potuit tanta, tótque terrarùm occupatio primùm An. C. 147. sed longè antè fieri; quod idem *Ptolemæus* l. 3. Geogr. Cap. 5. apertiùs expressit: *Tenent* inquit, *Sarmatiam maximæ Gentes Venedæ per totum Venedicum Sinum.* Imò si meum ego sensum, aut suspicionem pandere ausim: existimo *Venedos* vel *Venedas* in his litoribus & regionibus *ad Ostia* dictorum Fluviorum semper habitâsse, & quamvis in *Illyrico*, *Bohemia ac Moravia &c.* adventitius sit populus *Slavorum*; in his tamen maritimis Provincijs à plurimis ante Christum sæculis, ac fortè statim post diluvium, & primam divisionem Gentium sibi *Patriam* posuisse.

Claudij Ptolemæi Geographica cum Animadvers. Jos. Moletij.

Ante Christum natũ Venedi tenuerunt litora Oceani Sarmatici.

Suspicio est Venedos Sarmatas in ijs oribus habitasse.

ARTICULUS IV. At è contrario *Slavi* nostri, qui in *Illyricum*, & ex eo ad Nos usquè penetrârunt, nullo modo ad nos venire è *Sarmatia* potuerant, donec *Germanorum Populi* terris suis relictis in *Germaniam* ulteriorem tum in *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*, & *Africam* abijssent: nam cùm omnes hæ nostræ provinciæ id temporis à fortissimis, bellicosissimis, & vim vi repulsuris Nationibus Germanicis tenerentur, atque insuper *Romani* cum Exercitibus *ad ripas Danubij* pervigilarent, & stativa Legionum in plurimis locis haberent, fieri omnino non potuit, ut per tot Nationum capita, via *Slavis*, *Sarmaticæque* genti patêret. Ex quo clarè

Slavi … quàm … mani … sent, has oras n… ad vener…

Notiti… Rom. Imperij … pud Vohbur…

clarè ſequitur, *Czechum & Lechum* ante Chriſti adventum (ùt *Piaſecius* putavit) in Bohemiam venire non potuiſſe, neque contra *Quintilium Varum* Anno Chriſti IX. bellum gerere, & Aquilas Romanas obtinere, cùm omnia Germanorum populi occuparent, & in *Polonia ad fontes Viſtulæ*, uſquè ad *Hermunduros* protracti *Vandali*, tum *Hermunduri*, *Quadi*, *Oſi*, *Boÿ*, *Marcomanni*, *Norici*, ac cœteri, quos nominavimus alibi, ſederent. Idem adverſùs *Gvagninum* (cujus ſententiam C. 8. attulimus) dictum eſto.

rmano- nPopuli cando mi re cœpe t.

ARTICULUS V. Primis ſtatim à Chriſti nativitate ætatibus *Teutonia*, totúſque ab imo *Septentrio Germanicus* commotus eſt: nihil præter *Germanicarum Gentium* migrationes, bella, cædes, clades, victorias, tum inter ſe, tum adverſùs *Romanos* in illorum temporum Annalibus invenies. Vide hæc omnia relata compendio in *Chronologia reformata Riccioli noſtri*; pauca in exemplum adducam. An. C. nati 4. bellum geritur cum Germanis. An. C. 5. multi Germanorum Populi vincuntur. An. C. 6. *Marobodus Marcomannorum Rex cum Batone Illyrici Duce* adverſùs Romanos bellum gerit, ſed à *Tiberio*, quem Auguſtus Cæſar in bellum miſerat, retunditur; fæliciùs pugnavit *Arminius* deleto cum Legionibus *Quintilio Varo* An. C. 9. *Bellum cum Dalmatis* in aliquot annos protractum. *Marobodus Rex Marcomannorum* (eorum videlicet *Svevorum*, qui ripas & limites cis Danubianos tuebantur adverſùs Romanos) ut gentem ſuam procul à Romanorum timore abduceret, & ſe ſuósq; collocaret in tuto (quod propoſitum *Marobodo* fuiſſe & *Tacitus*, & *Vellejus* teſtantur) in *Bojohemum* duxit, *Boÿsq;* oppreſſis *Regiam* ſibi *in Bohemia* ſtatuit. Quonam victi & fugati ex patrio ſolo *Boÿ* receſſerint, habes Cap. II. *Wohburgius* pleroſq; ad *Danubium* conſediſſe putat, idque *Ptolemæus* paulò poſt hæc tempora An. C. 140. ſcribens, apertè docuit, cùm in IV. *Europæ* Tabula *Bæmos gentem magnam*, (ùt ait) non ampliùs in Hercynia ſilva, ſed inter *Silvam Lunæ* dictam & *inter Danubium* collocârit. Quæ bella *Marcomanni* poſtea geſſerint C. 3. ſummatim retulimus. Poſt An. C. 130. fortunâ ad Romanos inclinante, *Marcomanni* victi, & nè quid unquam ampliùs moliri poſſent, partim *in Italiam* ſunt tranſlati, partim trans *Danubium in Romana ripa* procul, aſſignatis ſedibus conſederunt, *Bohemiâ*, *Moraviâ*, & *ſuperiore Auſtriâ* (per quas provincias antè diffuſi habitârant) propè vacuis relictis; ubicunque tamen poſtea habuêre ſedes, quàm primùm juventutem idoneam nacti ſunt, renovârunt bellum, & Romanis faceſſivêre negotia. De his rebus videatur libro VIII. *Wolffgangus Lazius.*

.T.2.Chro ng. reform. onico 3.

t. l. 2. Ann. & Lipſius

j. l. 2. hiſt. lÿ citati .p. 5.

j ex Bojemo rſum abi rint.

Ricciol. l. cit. V. C. 3. p. 7.

de Migrationibus Gent. de Marcomannis ubi 8. diverſas ſedes Marcomannorum enumerant.

Per ea tempora alij quoque *Germanorum Populi* ſe moverunt, novíſque ſedibus quæſitis huc atque illuc errantes omnia turbabant, ut nullius gentis in hac *Germaniæ* parte tuta ſatis eſſet poſſeſſio. Tot gentium, quæ jam magnâ parte perierunt, chaos, evolvere fruſtra conatus eſt *Lazius*, laudabili tamen conatu, multáque præſtitit, quæ niſi ille fuiſſet, nunquam ordinare licuiſſet.

Sarmatatũ iter in Illyricum.

ARTICULUS VI. Cùm igitur ſúſque déque apud *Germanos* verterentur omnia, & tot paſſim Populi vagarentur incerti, ſedéſque mutarent; quàm facilè fuit aliquam ex *Sarmatis* multitudinem, in *Moraviam*, tum etiam in *Bohemiam*, quas accepto forſitan indicio vacuas propè cultoribus jacere ſciebant, penetrare ſeſe! nota jam erat hiſce noſtris Provincijs natio *Sarmatarum*, quos etiam *Svevicis & Germanicis Gentibus* auxilio adverſùs *Romanos* veniſſe multis locis oſtendit, etſi aliud agens, *Wolffgangus Lazius*; maximè autem proclive iter *Sarmatis* ſemper fuit (relictis à dextra *Sarmaticis* montibus, & *Carpatho*) penes *Danubium* aſcendere, eóque deinde reli-

Laz. de Migratio: Gent.

ĉto, *Illyrici Provincias* intrare. Certè paulò pòst (jam An. C. 263.) ex *Trebellio* pridem narravi: *Sarmatas in Illyrico vehementer Romanam vexâsse militiam.* Fateor hunc primum *Sarmatarum in Bohemiam aut saltem in Moraviam*, ingressum non æquè omnibus in vulgus notum esse, neque tot testimonijs Scriptorum niti, quot nititur adventus in has oras *Slavorum* circa *Attilæ tempora*, qui à doctioribus historicis apertè adstruitur, tamen cùm plerique Scriptores doceant: *Czechum ad populares suos in Bohemiam venisse*, neq; aliud magis idoneum tempus habeamus, neque maturiùs quàm post translatos *Marcomannos* ponere possimus, satis probabili conjecturâ ducimur; aliquam *Sarmatarum seu Slavorum* portionem *Bohemiam* ingressos, nè tellus hæc nostra, quæ semper ab ubertate, metallis, & rerum omnium parabili copiâ & gignentium victu celebrabatur, per tot hominum ætates inaccessa, inculta, & deserta jacuisse dicatur. Quòd si quis jam hoc etiam tempore post An. C. 180. aut seriùs annis centum, ipsum *Czechum cum fratre Lecho Bohemiam* ingressos diceret, egregios Patriæ Scriptores *Weleslavinum & Codicillum* Authores laudare posset, qui se rebus omnibus, & Memorijs, & Annalibus inspectis comperisse affirmant *Czechum* circa An. C. 278. *intrâsse Bohemiam*; quod ego nec probo, nec refello.

C. 8.

Probabile est: Marcomannis deletis Bohemiam à Sarmatis inhabitari cœptam.

Codicill. l. de adventu Czechi. Weleslav. in Genealog. Ducũ Boh. init.

ARTICULUS VII. Vndique fluctuante bellis *Germaniâ*, *Sarmatæ* (sub quo nomine latebant tum, atque etiam hodie latent, plurimæ *Slavorum*, præsertim *Polonorum* nationes) cùm toties adversùs *Romanos* inter auxilia adhiberentur, cœperunt hasce terras ab *Illyrico* ad nos usquè, acrioribus & vigilantioribus oculis contemplari, mirari cæli temperiem, calorem probare, fœcunditatem telluris laudare; fœlices igitur & beatas præ suis sedibus Provincias prædicabant, & limis, ut ita dicam, intuebantur hujus partis *Europæ* venustatem. Nondum publico consilio & totius gentis consensu intraverant, placuit fortunam experiri An. C. 319. *Sarmatæ Danubium* transmittunt cum exercitu (ùt ex *Zosimo* narrat *Ricciolius*) novas sedes quæsituri; non favit Fortuna consilio, nam à *Constantino Magno* cæduntur, & in *Sarmatiam* suam repelluntur. Quievêre malis victi aliquamdiu; sed brevi post intervallo, rursus jam sub his, jam sub illis (ùt mille testimonijs historicorum patet) belli stipendia meruêre; cùm ecce optima sese *Sarmatis* dedit occasio cum Hunnis amicâ pridem gente consociandi arma, & quod designârant, ad totius gentis gloriam, utilitatémq; exequendi. Porrò *Hunni* jam ab An. C. 376. ac fortè etiam maturiùs in hanc Europæ partem intulêre bellum, sed circa 422. An. C. meliùs ordinatâ suorum militiâ, & aucti numero, formidabiles esse cœperunt; *Hunnis* tum immixti semper erant *Sarmatæ*, ùt Cap. VII. diximus: nam huic genti (quæ paulò pòst, ùt ex *Procopio & Paulo Diacono* apparet *Slavica* dici cœpit) vetusti *Hunnorum Reges* plurimum tribuebant; quæ benevolentia & societas perpetua eò deniq; tum processit, ut unus idémque populus videretur. Certè *Attila* tam amicus *Sarmatis* fuit, ut *Santepolcum* (Swatoplucum sine dubio) *Ungariæ* suæ, *Marotam* verò (utrumque *Sarmaticâ & Slavicâ gente* ortum) *Mæsiæ*, *Bulgariæq;* cum summo imperio præfecerit, ùt *Ritius* testatur. Annotavit istud quoque *Lazius*: *Slavini* inquit, *passim in vallibus Gepusiæ inserti ac immixti sunt, quos undiq; Ungari ambiunt, & imperium in eos exercent, ac retinent &c.* Igitur ut ad propositum redeam: cùm *Attila* Anno. C. 441. & sequenti, excisis plurimis oppidis *Illyricum* occupâsset, habitandam *Slavinis* nostris eam regionem concessit, atque ipse cum *Hunnis* suis Orbis imperium animo complexus, omnia Regna, omnésque Populos conjungens

Sarmatæ tentant Danubium transire.
Ricc. T. 2. Chronolog. Reform.

Ricciol. ibid. & ad A. 383. & alias.

Hunni Slavorum genti semper amici.

Ritius l. de rebus Ungar. Lazius l. 10. f. 756.

gens cum aliquot centenis millibus Romanum intravit imperium; longum foret, & extra sacram lineam, hæc bella commemorare; legatur *Baronius*, aliique: Hoc tempore (ævo scilicet *Attilæ*) *Czechum & Lechum* Duces *Cromerus & Welserus* (præstantissimi duo, & Chronologiæ studiosissimi Scriptores) ostendunt in *Bohemiam*, sive *rectâ ex Sarmatia* (quod mihi est inverisimile, cùm *Slavos in Illyrico*, & per omnes *Hunnorum* provincias dispersos fuisse sciamus) sive potiùs *ex Illyrico, ad populares suos* cùm ingenti numero Nobilitatis ascendisse; hanc sententiam, & authoritate & ratione validiorem omnibus alijs existimo: Nam ùt ante ex *Paulo Diacono, & Welsero* probatum est, jam An. C. 595. *Czechorum* natio appellatur, quæ in *Bojohemo* consideat; at profectò ante *Czechum Czechitæ vel Zechitæ* ùt illi scribunt) appellari non poterant; quando igitur Genti suæ *Czechus* hoc nomen imposuit? aut quo tempore post ejus mortem, sui Ducis amore, *Czechos* sese ipsi indigitate cæperunt? Deinde: ex omnibus *Ungarorum, Illyriorum & Slavorum* historijs, & præstantissimis quoque aliarum *Gentium Scriptoribus* constat, manifestúmque redditur: *Slavos Bohemiæ Czechitas* post An. C. 500. tantopere in *Bohemia* multiplicatos, ut nimiùm abundante populo, *Bohemiæ* angustijs contineri non possent, ideóque ex *Bohemia* in alias terras colonias ducere cogerentur; ac fortè tum conterranei eorum *Slavi in Illyrico* adversùs hostes poscebant auxilia; illuc igitur quàm citissimè *Bohemo-Slavica* juventus est deducta circa An. C. 526. vel 547. ùt *Bollandus* noster ostendit; denique *Slavi* in ijs provincijs in tantum creverunt numero, ùt circa An. C. 583. & 595. *Boicam*, ut ait Welserus, *armis premerent*, & potentissimum Francorum Regem *Dagobertum* cum exercitu hostiliter advenientem, ùt idem *Bollandus* probat, fortiter exceperint, repulerint, ac omnino profligârint. Vide obsecro, quæ in Animadversione ad Cap. 18. attulimus, de fundata à *Czechitis Slavonia*.

[Bar]on. in An. Eccl.

[Sar]matarũ [et] Slavorũ [g]ens multitudo cum [Hu]nnis in [h]oras a[f]fudit.

C. 18.

Sl[av]i ex Bo[he]mia Ju[ven]utem [m]i[t]tunt, & [R]egnum Sl[av]oniæ fu[nd]ant.

C. 9.

ARTICULUS VIII. Hìc aliquis quæstionem moveat: cur *non rectâ ex Sarmatia Czechum & Lechum* (ùt *Cromerus & Sudetis* sentiunt) venisse ponimus? cur non *à mari Venedico*, vel per *Misniam*, vel ex ipsa *Misnia*, quàm ex remota *Illyrici Provincia, Croatia*, vel *Corvatia*? utrumque fieri potuisse certum est, & faciliùs etiam ex vicina *Misnia*, quàm aliunde *Czech & Lech* deducentur? Respondeo: multa fieri faciliùs posse, quæ omnino non fiunt; sæpe difficiliora, faciloribus & sanioribus consilijs abjectiora, anteponi; non esse in historia quærendum, quid fieri potuerit, sed quid factum sit. Cùm igitur totius *Slavicæ Gentis* consensu, ac Veterum Scriptorum authoritate & testimonijs habeatur: *Czechum ex Illyrico è Croatia aut Corvatia* nominatim, in *Bohemiam* advenisse, quid curandum est quid fieri potuerit. Quis satis sanus (rogo) in Migrationibus tot Populorum, viam rectam, & lineam requirat? Nationes illæ barbaræ, Avibus æstivis simillimo errore ferebantur; quis itinera præscripsit? quot mansionibus *Longobardi*, quot *Heruli*, quot *Rugij*, quot *Gothi in Italiam*, aut *Galliam*, aut *Hispaniam*, quot *Migrationibus in Africam Vandali* pervenerunt? *Marcomannorum* (qui etiam in *Bohemia* nostra uno & ampliùs sæculo habitârunt) quàm diversæ habitationes leguntur! octies eos sedes mutâsse *Lazius* apertè demonstrat. Neque illud de *Croatia* omnino aspernandum videtur, quòd novi *Bohemiæ* populi quædam secum ex *Croatia* attulerint nomina paternarum ditionum memores, ùt *Psary* (*Wissehradum* postea) cui cognominem arcem ad *Crupinam* hodiéque superesse in *Croatia Weleslavinus* affirmat; ejúsque castelli Crupinæ mentionem facit in Croatia *Bonfinius*; plura

Crom. in hist. Pol. l. 1. Sudetis l. de Origine Czechor.

Traditioni & consensui Gentiũ deferre oportet, nec facilè adversari.

Lazius de Migr. Gent. l. de Marcomannis

Czechitæ Veteres Croatiæ suæ memores fuerunt.

Weleslaw. in Genealog. Ducum & Reg. Boh.

Bonfin. rer. Ungar. Decade 3. l. 1. Crom. l. 1. hist. Pol. toto.

ra hujusmodi nomina attulimus alio loco. Jam quod *Misniam* attinet, quasi illa sit originaria & natalis *Czechi & Czechorum* omnium sedes, assentiri omnino non possum, ob eas quas antè *multis Capitibus* attuli causas, tum quòd opinio hæc omnem Scriptorum Veterum, & Antiquitatis traditionem evertit, præsertim cùm clarè demonstratum sit: *fieri potuisse, idq; facilè,* ut ex *Croatia Czech* adveniret, cui rei sua commoda tempora, quibus id verisimiliter factum sit, assignavimus; denique quod nullus unquam ante *Crantzium* & unum alterúmve in historia nostra (ùt ex alijs quoque rebus apparet) peregrinum, idem sensisse legatur; ultimò, quòd ipse sibi *Crantzius* non constet; docet enim *Misnios à Miza, Saxones à Sazava* fluvijs Bohemiæ nuncupari, quòd ab his fluvijs orti in *Misniam & Saxoniam* colonias duxissent. Atque ob hanc præcipuè caussam factum existimo: cur *Adam Bremensis Venedorum* seu *Vinulorum*, qui ad mare fuerunt per Provincias usquè *Saxonum & Misniacorum* porrecti, & à *Mari Balthico usque ad Albim* diffundebantur, historiam pertexens, dubitet, an *Bohemos & eos qui trans Oderam sunt, Polonos, Slaviæ & Venedis adjicere possit;* cùm si *Czechus & Lechus, Czechiq; & Lechitæ* ab ijs prodijssent, nullo modo dubitaturus fuerit, quin eos cum *Venedis & Vinulis & Redarijs &c.* conjungeret, ac nominaret.

Credibile est Czechũ & Lechum ex Sarmatia directè non venisse.

At *cur non rectà ex Sarmatia Czechum & Lechum* venientes inducis? præter ea, quæ modò attuli, hoc quoque responderi potest: quòd hâc ratione tota de *Lecho* cum fratre suo *Czecho in Bohemiam* appulso narratio antiquissima concidat: cur enim ex *Bohemia* (ùt omnes *Polonorum & Bohemorum* veteres Historiæ tradunt) in *Poloniam* migrâsset, cùm jam antè *in Sarmatia*, ferè in *limine Poloniæ* stetisset? deinde sciendum est: *Sarmatas* progressu temporum à *Mæotide palude* sinistrorsum descendisse, adeóque à *Ponto Euxino* usquè ad *Danubium* porrectos, faciliùs longè in *Illyricum*, quàm in alias terras *Vistulæ* objacentes vitato & ad dexteram (ùt jam antè dixi) relicto *Carpatho & Sarmaticis montibus* penetrare potuisse. Hoc quod nunc scripsi, ex *Jornande* didici, qui An. Christi 552. historiam *de bello Getico* scribens, disertè affirmat: *Venedorum nationem populosam*, ætate suâ *ad latus Sarmaticarum Alpium* (ubi & Krapak seu Carpathus stat) *quæ Daciam claudunt, inde in* Septentrionem *postea ab exortu Vistulæ ad Danastrum* (seu Dnester) *inde ad Pontum ac Danubium extensam fuisse.* Unde facilè apparet: illâ viâ longè antè *in Illyricum Sarmatas* advenisse, ac postea quosdam ex ijs bellicosiores trajecto Danubio ad nos in *Moraviam & Bohemiam* ascendisse. Neque obstare sententiæ nostræ potest, quòd toties primis illis (ab An: 150. usq; ad An. 800.) ætatibus *Illyrici*, provincias vexatas, occupatas, rursus receptas, rursus à barbaris insessas, & Romanis ereptas legamus: *Illyricum* enim maxima belli area fuit, & jam insidebatur ab hostibus *Romanorum*, jam rursus expulsis hostibus, parebat Romanis, donec prorsus occuparetur à *Slavis.* Adde quòd diversæ sint *Illyrici Provinciæ*, adeóque quod de una dicitur, non continuò de omnibus sit intelligendum. *Sarmatæ* satis citò *Illyricum* invaserunt, facto à *Mæsia* initio: hinc in Tacito legimus *à Roxolanis Sarmaticâ gente in Mæsia* cohortes Romanas, proximâ post *Neronis* mortem hieme cæsas, & sub *Ottone* prælia cum ijs commissa fuisse. V. C. 8. pag. 23.

Jornan. de bello Get.

Tac. l. hist.

Satis jam apertè & candidè quid sentirem aperui; utinam æquè & tam claris documentis rem totam probare potuissem? sed in re tam obscura facilis est veniæ locus; *Lectores* vel hæc, quæ attulimus, vel alia, quæ verisimiliora judicârint, sequantur; ego *Viri diligentis officium functus* conquiesco.

(+)

CAPUT

CAPUT XXIII. ET ULTIMUM.

Dissertatio pereruditi è Societate nostra Scriptoris; in qua de Czechi & Lechi fratrum in has terras adventu; Unde orti fuerint; an ex Vandalis, an Henetis, an Æolijs, nationis nostræ primordia petenda sint; tum alia quædam ad hanc quæstionem pertinentia, brevissimè, sed ex fundamento cum Veterum Scriptorum authoritate tractantur.

I. Authoris hujus Dissertationis.

CUm nuper adeò quisquilias quasdam (ut ità dicam) chartarum excuterem, & pretiosum à vili secernerê, nè (ut factum aliquando doluimus) in piperis cucullum verteretur, quod pyramidibus dignum esset inscribi, reperi bonâ fortunâ tractationem, & lucubrationem egregiam eruditi è Societate nostra Viri *Andreæ Stredonij*, quâ *Origines Bohemorum seu Czechorum* complexus est. Nôvi familiariter Virum, humanitate, comitate, facilitate, innocentiâ, & svavitate morum, cæterísque Religiosorum virtutibus perinsignem, sed doctrinâ, eruditione, ac præcipuè *Bohemicæ historiæ* notitiâ clarum. Fuit *Venerabilis Patris Martini Stredonij*, cujus vitam sanctissimis exemplis illustrem legimus, germanus frater, ex Silesijs oriundus, sed in *Bohemia* à prima pueritia educatus; parabat multa in *Historia Bohemiæ*, cujus se *Civem* esse dicebat, & quam habebat notissimam; mors intervenisse videtur negotium, nè fidem amicis sæpe datam exsolvere posset; ego nihil unquam de ejus lucubrationibus, præter, quod jam recitaturus sum, vidi, licebit tamen vel ex hoc ungve Leonem agnoscere. Si quid adfert Scriptor à nobis diversum, & ijs, quæ attuli superiùs, adversum (quanquam paucissima ejusmodi video) *Lectores*, quod verisimilius existimârint, sequantur: neque enim hanc ego mihi authoritatem unquam arrogavi, aut arrogo, ut cogere ad meam sententiam cæteros velim; nolo mihi legentes credant, nisi, quod asserui, authoritate aut ratione confirmem.

Jam in rem præsentem.

❊[o]❊

Origines Boëmorum, seu Czechorum, Authore P. Andreâ Stredonio S. J.

Boëmiæ fines.

BOëmia, Czechiáq; Regio veteris quondam *Sarmatiæ*, provincia, nunc *Germaniæ Regnum* opulentissimú, fines suos ab ortu solis ad *Moravos & Silesios*, ab occasu ad *Noricos* protendit; Australem verò ejus plagam *Austria*, & Borealem *Saxonia*, *Misniáque* terminant; Universam *Hercynia* silva perpetuo ambitu cingit, unde par ferè ejus longitudo latitudini visitur.

Boëmiæ porrò, seu *Bojemiæ*, seu *Bojohemi* nomen Germanicæ originis esse, & *patriam Bojorum* Germanis significare, indéque Boëmiæ incolas Boëmos nunc dici, sub Carolo M. *Bohemannos* dictos, certiùs videtur, quàm aut à *Boëmo* ignoto Duce, seu Rege Svevorum; aut à *Belgico Boom* (arborum nempe Hercyniæ silvæ copiâ) appellatos fuisse. Cæterùm *Bojos*, Au- unde appellatio Bohemorum, vel Bojohemorum.

ctor

ctor Annalium Bojorum, & *Lazius* libro septimo de varijs migrationibus gentium, ex *Bernoardi Cremlomonasteriensis Monachi* historia docet, ex *Armenia* post diluvium profectos, Duce *Bojogero*, in Germaniam venisse, ad confluentes *Danubij & Oeni* fluminum *Bojodurum*, seu *Bojorum*, turrim, propugnaculúmq; (hodie *Passavium*) exædificâsse; inde successu temporis *Hercyniæ* silvæ fines occupatos, & in ejusdem meditullio inter *Albim*, & *Muldavam* fluvios, à *Bojosmanno* Urbem *Bubiemum* conditam, quã postea pulsis *Bojis*, à *Svevis Marobudum*, & tandem à *Czechis* Slavinis *Pragam* nuncupatam, *Ptolemæo Cassurgim* dictam; licèt non desint Auctores, qui *Budvicium Bubienum* ex *Strabonis* libro septimo conjiciant.

Eadem tellus *Slavinis* populis *Czechia*, *Czechi* ejus incolæ dicuntur, more *Slavis* usitatissimo, à Duce *Czecho*, cujus auspicijs, & ductu hanc regionem Slavi quondam occupârunt. *Czechum* porrò stirpe *Slavorum* profectum fuisse, nemo quidem inficiatur; sed tamen de ejus in *Boëmiam* adventu, & *Slavorum* Aboriginibus, nemo sufficienter hucusquè opinionem suam controversijs explicavit. Harum præcipuas stylo mandare, & singulas discutere est animus, ut *Boëmiæ*, *studiorum meorum altrici*, gratiæ aliquid referam, & quantum per ingenij vires licuerit, ejus origines ex opinionum tenebris vindicem, qui in ejus sinu lucem temporum clauserim.

§. I.

Etymologia nominis Sclavorum, Slavorum, Slavinorum, Slovaconum, Slovanorum.

Eadem gens his nominibus intelligitur.

Slavorum appellatio.

SLovacos, *Slovanósq;* Boëmiæ, & Poloniæ antiquitatum Scriptores volunt appellatos in campo Sennaar, quod post universale diluvium condendæ famosissimæ turris *Babel* svasores primi exstitissent; siquidem *Slavonicæ* genti **Slowo** verbum significet, unde *Slovani* verbosi dicti. Verùm obstant his Auctoribus *Epiphanius* in principio *Panarij & Josephus* libri primi antiqu: Judaicarum capite quarto, asserentes consilij illius authorem fuisse *Nemrodum* præcipuum; licèt septuaginta duo familiarum Principes opus ipsum promoverint. Utrique favere sacras literas docet *Jacobus Salianus* è Societate JESU, tomo primo annalium veteris Testamenti sub Annum Mundi millesimum nongentesimum nonum.

Alij ex eodem fonte, ob commercium unius, ejusdémque lingvæ *Slovanos* nuncupatos asserunt, cùm istius populi militari virtute ea fuerit parta terrarum amplitudo, ut propè dimidium *Europæ*, nonnullam etiam *Asiæ* partem occupaverit, teste *Cromero* libri primi capite primo de rebus Polonorum, cui adstipulatur tabula quædam pervetusta in Monasterio *S. Hieronymi*, dicto *Slovan*, *Neo-Pragæ*, provincias olim à *Slavis* possessas continens, gentémque *Slavorum* tot per terras dispersam unius labij fuisse attestans.

Propiùs accedit veritati opinio asserens à celebritate nominis etiam *Slovanos*, *Slovacósq;* dictos, ùt *Slavinos*, & *Slavos* à gloria appellatos. Nam Boëmis **Slowutnost**/ est amplitudo, seu claritas famæ: & **Slowutný**/ seu **na Slowo wzatý**/ celebris dicitur, **Sláwa** gloriam significat.

Ita sentit *Dubravius* libro primo historiæ Boëmicæ, & favent nomina Boëmis, Polonísque usitatissima, à **Sláwa**

wa/ seu gloria derivata, ut patet in *Wratislavv*, *Boleslavv*, *Miroslavv*, *&c.*

Slavorum a aquæ se-c.

Jornandes Historicus de origine, actisque *Getarum* scribens, id ipsum innuere videtur, dum *Slavinos* à nova Civitate Slavino, & Rumennense lacu, qui Musianus, (Ortelio Mysianus Europææ Scythiæ) dicit denominatos.

Obsoleta fateor equidem nomina, *Straboni*, *Ptolemæo*, & alijs ignota, nisi quis *Musim* fluvium in *Caspium* mare influentem pro *Musiano* lacu accipiat apud *Plinium* libri sexti capite nono; suspicari tamen licet *Jornandem* Germanicæ stirpis hominem, vocabulo Theutonico **Rhůmensee** allusisse, ad famosum, seu celebrem lacum, cujus *Slavi* fuêre accolæ. Nec *Slavis* inusitatum fuisse ab aquis desumere alicujus coloniæ, seu tribûs denominationem, apparet in *Pomeranis*, *Havellis*, *Obotritis*, seu *Ododritis*: primi enim à mari, alij à fluvio *Havella & Odera* nomina sortiti fuerunt.

Hinc patet, corruptè Slavos dici à Germanis *Sclavos*, ab Italis Siavos, à Græcis Σκλάβους, & nomen *Sclavi* servile tunc Germanis factum, quando in *Pomerania*, & vicinis provincijs, à *Saxonibus*, & alijs, domiti, subjugatique *Slavi* fuerunt.

Slavi non Sclavi dicendum videri.

§ II.

Slavos non descendere à Noë per Vandalos.

Densio vetustarum historia traditionū.

A Tribus *Noachi* filijs universas hominum gentes descendere, sacræ literæ Christianis, & Judæis testantur, unde eos, qui in divisione lingvarum, seu in sortitione terrarum facta sub ædificio turris *Babel* suos *Aborigines*, aut investigant, aut probabiliter repertos scriptis produnt, non facilè censuerim anilia omnino deliramenta scribere, aut nugari, quamvis Hebræarum originum certitudine inferiores censeantur. Hoc enim præjudicio, nulla fides habenda erit majorum traditionibus, monumentis, historicis, genealogijs, nummis, lapidibus, alijsque conjecturæ signis, & causis, quæ antiquitatem alicujus populi, aut Urbis arguere possent! cùm tamen *Cornelius Tacitus* ex traditionibus Germanorum suam conscripserit Germaniam, *Eusebius*, *Africanus*, *Diodorus Siculus*, & alij gentium diversarum vetustatem ex fabulis, & vocabulis eruerint, nec propterea, Sapientum censurâ, historicorum ordine sunt remoti. Fidem fateor, requiri delectatione comite, & agendorum instructione ab historico, sed hæc etiam in fabularum involucris inveniri, præter alios plurimos eruditissimè passim ostendit *Joannes Goropius Becanus* in Originibus Antverpiæ & subinde *Salianus* in Annalibus veteris Testamenti. Ridiculum verò illud, quo aliqui sugillant antiquitatis studiosos sarcasticè, sciscitando: cur non ab ipsis humanæ naturæ incunabulis inter paradisi septa constitutis, *Aboriginum* suorum petant exordia? ridendi potiore jure ipsi inscitiæ suæ prxcones. Quis enim ità in sacris literis peregrinus, aut Christianæ fidei rudis est, qui nesciat, aut ab *Adamo* hominum Principe ad diluvij usquè cladem præcipuarum familiarum unius sermonis deducta stemmata, *Noë* avum, abavum, &c. nominatos? aut humanum genus ad octo hominum capita aquis cataclysmi redactum, ab eisdem homines propagatos descendere universos? aut denique diversitatem populorum confusione lingvarum potissimùm factam?

Quid quod *Crantzius Boëmorum* scriptores ambitæ vetustatis damnat, qui suos *Vandalos* ipse à *Noë* per *Vandalum* (*Berosi* & Viterbiensis malè tutus auctoritate) deducit; næ ille dignus pœnâ talionis!

Nec commenta, & ficta omnia illa

existimanda sunt, quæ subinde, interruptâ serie Ducum, aut Regum, de colonijs, populísque narrantur. Sæpe namque gens una cum altera in societatem belli evocata, sub præcipui, & celebrioris nominis Imperatore stipendia faciens, eidem subjecta, Ducibúsque proprijs destituta, â Scriptoribus Græcis, Latinísve credebatur, ùt passim in Germanorum, Vandalorúmque bellis, & gestis id advertere licet.

Præterea videmus viros, antiquitatis peritissimos, in successione *Pontificum*, *Judicúmque Israëlis* ordinanda plurimùm desudare: plurimos à longævâ ætate, suæ chronologiæ suppetias poscere: alios cum *Rabbinis* suppositicios comminisci: alios divinare, conjicere, neminem sinè oppositi metu definire; non propterea tamen *Judicum historia* novitia, aut recens ingenij alicujus audit partus. Quare nec mirum erit, si etiam in *Slavorum*, aut aliarum gentium scriptionis expertium historijs, aliqua tempora subinde lateant, nostrámque cognitionem effugiant, interim uni, alterive potuit, poterítque hæc felicitas obtingere, ut de suæ patriæ origine aliqua cæteris ignota cognoscat. Neque enim omnia unum assequitur ingenium, neque omnem una complexa est scientiam ætas. Hæc ideo inserere libuit, quòd aliquos *Boëmarum*, *Polonarúmque* rerum Scriptores immeritò arrogantiæ notatos adverterim, quasi & illis Patriæ fumus igne alieno luculentior foret, dum antiquiorem *Czechi & Lechi* stemmate stirpem inquirunt. Quanquam enim non omnes rem acu; tamen & ipse conatus, amore patriæ susceptus, suâ laude minimè privandus: præsertim cùm aliquid lucis subministret, quæ indagandis majorum rebus adminiculo esse queat. Sed ad propositum.

Fabulosa deductio gentis Wandalicæ.

A Noë Slavos deducunt quidam per Japhet ad Vandalos usquè hâc serie.

Noë.
Sem. Japhet. Cham.
Thires. Meschus.
Gomer. Thobelus.
Mado. Javan. Magoges.
Tharsus. Alisas seu Philara. Chelimus.
Alanus.
Anchises.
Æneas.
Ascanius.
Pamphilus.
Reazelin.
Alanus II.
N. N. Vandalus. N.

Nomi-

Nomina horum ad tertiam propagationem desumta sunt ex *Josephi* libri primi antiqu: Judaicarum capite septimo; reliqua *Cromerus* libri primi rerum Polonicarum capite secundo ex quibusdam Authoribus refert, qui scriptis mandârunt: *Alanum II.* primùm ex Asia commigrâsse in *Europam* cum quatuor filijs: *Vandalum* autem multâ prole factum parentem, quartam *Europæ* partem occupâsse, & posteros ejus *Vandalos* denominatos fuisse.

Authores qui Slavos à Vandalis eduxerũt.

A *Vandalis* autem Slavos ortos, affirmat *Crantzius* libro primo *Vandaliæ*, adducens pro sua opinione *Saxonem Grammaticum*, & *Blondum*, *Sclavos* appellantes *Vandalos*.

Eidem favere videtur *Reusnerus* parte secundâ genealogici operis in stirpe *Carolina*, insinuando *Vandalum Svevi Germaniæ Regis* filium, auctorem extitisse *Saxonum & Venedorum*, qui hodie *Slavi* dicuntur, cujusmodi sunt *Marovij*, *Moravi*, *&c.* Et *M. Adamus* libro secundo historiæ Ecclesiasticæ ait, *Vinulos Slavoniæ incolas olim dictos Vandalos.* *Dio* etiam apud *Xiphilinum* tomo tertio historiæ Romanæ refert, oriri *Albim in montibus Vandalicis:* at *fons Albis* est in confinijs *Boëmiæ & Silesiæ*, ubi *Slavi* consederunt.

Plurimorum scriptis confusos esse *Slavos* cum *Vandalis*, testatur *Lazius* libro undecimo de varijs migrationibus gentium.

Mathias porrò *Miechoviensis*, Canonicus Cracoviensis in epistola ad *Andream Cricium*, præfixa Chronicis Poloniæ editis sub annum M. D. XXI. ex professo *Vandalicæ* stirpis surculum esse *Slavos* persvadere conatur, ex communi lingva *Vandis*, seu *Vendis*, *Sarbis*, seu *Sorabis* (hodie Lusatij, Boëmis Srbj / Germanis Wenden.) cum *Slavis*, ùt apparet in multis vocabulis locorum quorundam, & monumentorum Poloniæ, *Gnezna*, *Mogyla*, *Nogavvka*. Deinde nomen *Vandæ* Virginis, quæ *Polonis* summa cum potestate præerat, & in *Vistula* sponte mersa perijt, aliquid cognationis cum *Vandalo* habet. Præterea in chronicis Hispanicis legit *Miechovius Vandalos Polonos* appellari, & asserit in Ecclesiastico officio Ecclesijs Poloniæ usitato, de *S. Adalberto Pragensi Episcopo*, sequentia verba cani:

Benedic Regem cunctorum
Conversa gens Vandalorum.

Verùm, quò minus his Auctoribus assentiar, *Slavósque Vandalicæ* genti adscribam, in causa est, diversa utriusque populi origo, lingua, mores, arma, habitus corporis, Religio, Reipublicæ gubernandæ ratio.

ORIGO etenim *Vandalorum* est stemmatis Germanici *Plinio* libro IV. naturalis historiæ in capite decimo quarto, ùt *Blondus* vult decadis primæ libro primo, & *Crantzius* in præfatione *Vandaliæ*. *Reusnerus* à *Vandalo* Germanorum, seu *Svevorum* Rege *Vandalos* deducit, de quo *Cornelius Tacitus* in sua Germania. *Paulus Diaconus* libri primi capite primo de gestis Longobardorum, *Germaniæ* populis *Vandalos* annumeravit. *Procopius* libro tertio *Historiæ Gothicæ*, eosdem *Gothorum* prolem asserit; cui *Lazius* adstipulatur libro undecimo migrationum. *Irenicus* Exegeseos Germaniæ libro primo, capite trigesimo quinto, plures pro hac opinione afferens Auctores, citat *Methodium Martyrem*, qui epistolam *Vandalorum* adducit, *Germanos* palàm se profitentium. At *Slavos* alterius omnino originis esse infra clarissimè patebit.

Wandali fuêre Germanicæ Originis Populus.

Lingvam deinde diversam *Slavis* ab antiquo sermone *Vandalorum* fuisse, & defacto magna ex parte esse, nemo inficias ibit, qui apud *Lazium* libro decimo migrationum, paragraphum (*Linguam Gothicam Theutonicam &c.*) legens, eandem cum *Slavonica* pura, & mixta conferat. Atqui *Gothicæ* familiæ esse *Vandalos* plurimorum jam auctoritate liquere existimo, & *Goropius Becanus* libro primo Hermathenæ ait: *Vandalos sermone Theuto-*

Slavica lingva à Wandalica diversa.

nico locutos. *Puram* porrò Slavonicam linguam illam esse, quâ *Pannones* hodie utuntur, probabile redditur ex veteribus Boëmici idiomatis scriptis, proximámque illi *Boëmicam*, *Croaticam*, superioris *Silesiæ*, *Polonicam*, remotiorem *Russicam*, *Volinicam*, adulterinam *Carniolorum*, *Histrorum*, *Lusatiorum*, *Soraborum*, *Vandalorum*, seu *Vendorum*, **Windisch** dictorum, ex vocabulis Germanicis, *Slavo*, *Boëmo*, *Croatæ*, *Polono*, *Russo*, planè incognitis, constare videtur. Neque enim dialectus linguam communem ità corrumpit, ut parum, vel nihil ejus retineat; quemadmodum in Attica, & vulgari Græca advertere licet; aliàs Latinæ linguæ erit dialectus, *Italicus*, *Gallicus*, *Hispanicus* sermo, quos tamen corruptæ Latinitatis vestigia, seu umbras justiùs, aut penitùs diversum nuncupamus idioma.

Goropius Becanus, suprà adductus, docet lingvas *diversas* illas esse, quæ sic inter se discrepant, ut non statim qui unam intelligit, alteram quoque intelligat: *easdem* verò, quæ licèt nonnihil differant, tantum tamen non recedit altera ab altera, ut discrimen earum colloquendi, communicandíq; auferat facultatem, ùt fit in *Italia*, *Gallia*, *Hispania*. Hæc ille.

Favent & huic diversitati Slavicæ, Vandalicæque linguæ, nomina Regum, seu Ducum utriusque gentis; quandoquidem *Vandalica* redolent etymologiam Germanicam, ùt **Wißmayr**/ Visumarus. **Gotschalch/ Goldmayr/ Heinrich/ ꝛc.** At Slavonica: **Boleslaw/ Bugoslaw/ Swantibor/ Ratibor ꝛc.** quid affinitatis habet cum Theutonis?

Mores Vandalorum diversi à moribus Slavorum.

Discrepare etiam *moribus Vandalos à Slavis Cromerus* inde probat, quia mollissimè *Vandalos* vixisse, *Procopius* libro tertio de bello Gothorum testatur, quibus facilè concesserim hoc Sybariticæ vitæ genus duxisse *Vandalos Europæ*, *Africǽq;* victores, cùm & *Macedonas*, Asiæ domitores, delicijs, & luxu diffluxisse sciamus: difficiliùs verò eorum amplector sententiam, qui *Vandalos* ante *Hispaniam*, *Africámque* occupatam mollitiei damnârint. Difficilem mihi fidem facit auctoritas *C. Sollij Sidonij Apollinaris*, qui epigrammate ad Catulinum, *Burgundiones* ejusdem cum *Vandalis* stirpis populos sequentibus describit:

Quid me, etsi valeam parare carmen,
Fescenninicolæ jubes Diones
Inter Crinigeras situm catervas,
Et Germanica verba sustinentem,
Laudantem tetrico subinde vultu,
Quòd Burgundio cantat esculentus,
Infundens acido comam butyro.

Et paucis interjectis:

Felices oculos tuos, & aures,
Felicémque libet vocare nasum,
Cui non allia, sordidǽq; cepæ
Ructant, manè novo decem apparatus,
Quem non, ùt vetulum patris parentem,
Nutricísq; virum, die nec orto,
Tot, tantíq; petunt simul Gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret.

Accedit his *Procopius* de Bello Vandalico libro primo referens, *Vandalos* fame pressos à *Mæotide* palude in *Germanos* irrupisse & idem apud *Cæs. Baronium Annalium Ecclesiasticorum* tomo septimo An. CD.XXXIV. ait, *Vandalos*, ex quo Africam tenuerunt, mensâ quotidie copiosâ, tum omnium rerum, quas ea fert regio, continuò refertâ usos. *Salvianus* etiam libro septimo de gubernatione DEI, sub finem, pluribus laudibus exornans *Vandalos*, miratur, *quòd delicias corruptorum Afrorum indepti, corruptelam morum repudiârint.* Ex quibus prudenti liquet, *Vandalos* ante occupationem Hispaniæ, & Africæ viliori quadrâ vixisse, & cibis humi natis victitâsse.

Vafros præterea, & *perfidos Vandalos* nominat *Orosius* libro septimo, agens de *Stilicone*, & *Victor Uticensis* de persecutione Vandalica libro primo scribit: *Vandalos invenientes pacatam provinciam, universam terram depopulatos esse, incendióque, & homicidijs totam*

tam

tam exterminâsse, sed nec arbustis fructiferis omnino pepercisse, nè fortè, quos antra montium, aut prærupta terrarum occultaverant, post eorum transitum, illis pabulis nutrirentur. Hæc ille.

[V]andalorum pugnandi ratio.

Jam *arma & pugnæ ratio Vandalis* in usu describuntur ab eodem *Sidonio Apollinari* in panegyrico, dicto Cæsari Jul. Val. Majoriano.

- - Nuper, pòst, hostis aperto
Errabat lentus pelago, simul ordine vobis
Ordo omnis regnum dederat, plebs, curia, miles,
Et collega simul. Campanam flantibus austris
Ingrediens terram, securum milite Mauro
Agricolam aggreditur, pingvis per transtra sedebat
Vandalus, opperiens prædam, quam presserat illuc (V[an]dalus.)
Captivo cupiente trahi; sed vestra repentè
Inter utrumque hostem dederant sese agmina planis
Quà pelagus, collémq; secant, portúmq; reducto
Efficiunt flexu fluvij. Perterrita primùm
Montes turba petit, trabibus quæ clausa relictis
Prædæ præda fuit, cùm concitus agmine toto;
In pugnam Pirata coit, pars lintre cavatâ
Jam dociles exponit equos; pars ferrea texta
Concolor induitur; teretes pars explicat arcus,
Spiculáque infusum ferro latura venenum, &c.

[Ha]bitus [Van]dalorum.

Habitum insuper corporis *Vandalorum Procopius* libro tertio Gothicæ historiæ depingit, dum eos *Gothicæ* originis esse probat. *Nam*, inquit, *& albi sunt omnes corpore, flavi comâ* (quod Germanorum insigne apud *Tacitum*) *proceri quoque, & aspectu probo, legibus item eisdem utuntur; similiter & Arianæ omnes opinionis, voce unicâ, Gothicâ appellatâ utentes.*

Respublica Vandalorum.

Tandem *Politia, & Respublica Vandalorum* Monarchica fuit: siquidem Regibus suæ gentis paruerunt; quorum seriem recenset *Lazius* libro undecimo migrationum, & alij.

Slavorum Veterum vita, arma, mores &c.

Has enumeratas *Vandalorum* notas, *Slavinis* minimè convenire, vel ex *Procopij* libro tertio de bello Gothico discere fas est. *Antarum*, infit, *Slavinorúmque nationes, non ab homine aliquo uno reguntur, sed ab antiquo, plebejâ, communiq; libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel utiles sint, vel fortè difficiles, in commune consilium deducuntur. His præterea Barbaris lege cautum est, & à suis majoribus proditum, inter Deos aliquem unum, qui fulminis sit fabricator, rerum omnium Dominum, ac solum esse ut credant, illíque boves, & hostias cæteras mactent; Fortunam verò, nec sciunt quidem, nec altàs vim aliquam in homines habere fatentur: sed postquam sibi sive domi morbo correptis, sive in prælio constitutis è propinquo mors imminet, jubentur quidem, si incolumes fortè evaserint, DEO confestim pro anima sacrificium facere. Unde quàm primùm mortis illud discrimen defugerint, sacrificium ex voto, ac promissis absolvunt, & putant ferme hoc pacto salutem sibi per sacrificia redemisse. Silvas præterea, & Nymphas hi colunt, & dæmones alios, hisque sacrificia peragunt, & inter sacrificandum vaticinantur. Habitant autem incondita quædam tuguria, & longo ab invicem intervallo, & singuli domicilij locum, ùt sæpe fit, mutant. In prælio pedestres plerique in hostem eunt, clypeum, teláque in manu gestantes; thoracem tamen non induunt: nonnulli verò nec tritam quidem & obsoletam habent (dum interea bellum fit) vestem, sed velamenta duntaxat quædam, ad femur usq; tendentia: hunc in modum adversùs hostes consistunt. Porrò una utrisque, & barbara lingua. Nec Antes à Slavinis corporis specie inter se differunt: Nam & prolixiore staturâ sunt omnes, & viribus plurimùm valent.*

Corporum verò, & comarum colore nec candido admodum, nec rutilo prorsus, nec in nigredinem omnino vergente; sed subrutili magnopere sunt. Vitam verò ùt duriorem, ità & planè incultam, neglectámque, Massagetarum more, ducunt, & quidem sordibus, ùt illi cibo, ingurgitantur; callidi tamen, sive malefici minimè sunt, sed in populando, ac rapiendo Hunnicam servant consvetudinem.

Hæc ex *Procopio* prolixiùs placuit transferre, ut appareat *Vandalos* inter, ac *Slavos* discrimen, quod insuper manifestiùs evadit ex superstitione, seu Religione *Vandalorum & Slavorum*; siquidem in confesso est: *Vandalos* Arianæ perfidiæ adhæsisse, *Slavos* Catholicam Romanam fidem amplexos fuisse, & sæpius ab eadem descivisse, ùt videre est de prioribus apud *Victorem Uticensem*, *Orosium*, *Baronium*, *Spondanum*; de posterioribus *Ditmarus* Episcopus Mersburgensis, libro primo, & tertio; *Adamus Bremensis* in suo Chronico; *Reusnerus* in stirpe Gryphorum, scribunt.

Adversus Crantziū.

His præmissis, nec *Miechoviĳ*, nec *Crantzĳ* ea sunt opinionis firmamenta, quæ contraria asserentium enervent sententiam. Nam inprimis declaratum est *Slavis & Vandalis* lingvam fuisse diversam, quod etiam elucet magìs ex audaci assertione illorum Auctorum, qui *Pragæ*, & in *Boëmia* affirmant, sermones sacros *Germanico* idiomate, non patrio ad populum haberi, quasi *Boëmos* patriæ lingvæ, hoc est *Vandalicæ*, puderet; cùm constet in potiori parte *Boëmiæ*, & maximè *Pragæ*, ante Imperium Austriacorum in *Boëmos*, lingvæ Theutonicæ in sacris cohortationibus usum fuisse nullum.

Fictitiam præterea esse illam sermonis nativi *Vandalis* verecundiam, arguunt *Soraborum* in *Lusatia* vernaculâ lingvâ conciones, qui quidem alienæ linguæ non audiunt Oratorem.

Cæterùm quòd quædam loca in *Polonia*, *Marchia*, & *Pomerania* ijsdem nominibus à *Sorabis*, seu *Vandalis* appellentur, quibus & *Poloni* utuntur, non rectè inde arguitur eadem *Slavorum*, & *Vandalorum* lingva, & origo, alioqui idem erit sermo *Germanorum* & *Polonorum*: siquidem uterq; exempli causâ vocet *Francofurtum*, **Franckfurt**/ Parisios, **Pariß**/ ꝛc. Ubi advertendum, nomina propria locorum non mutari facilè, nisì natura lingvæ alicujus mollitiem, aut asperitatem literarum nominis localis refugiat; in qua tamen literaria permutatione, adjectione, aut expunctione, radicales, seu primigeniæ vocabuli litteræ retinentur. Sic Starigrad, Krakow, Praga, Polonis: **Stargardt**/ **Krakau**/ **Prag**/ Germanis sonat.

Objectiones eorum qui Vandalos à Slavis non distingvunt, solvuntur.

Nullius insuper roboris est ratio petita à nomine *Vandæ* Poloniæ Principis Craci filiæ; siquidem *Vandalorum* & *Vendæ* vocabuli diversa omnino notatio, seu etymologia invenitur.

Nam asserentibus *Slavorum*, *Vandalorúmque* unam esse gentem, *Vandali* Slavonicâ lingvâ dicuntur quasi **Wen dale**; quæ vox est cohortantium sese, ut ulteriùs porrò ire pergant. At *Venda* (inquit *Cromerus* libro secundo de rebus Polonorum) *erat venustissima puella, ut illi meritò* **Wenda**, *hoc est, nomen hami videretur ideo inditum, quòd, veluti pisces hamo, speciè ejus dignissimâ caperentur homines.*

Nec majoris est firmamenti illud ex aliquo *hymno*, seu Ecclesiastica prosa allatum, quandoquidem nihil ampliùs, quàm *Slavos* fuisse appellatos *Vandalos*, quòd terram, & sedes *Vandalorum* occupâssent. *Divus* namq; *Adalbertus in Hungaria*, *Superiori Silesia*, & aliquantum etiam in *Polonia* Christi fidem propagavit; quas ex parte terras incoluisse quondam *Vandalos*, auctor est *Hagecius* de origine Boëmorum, *Lazius* libro undecimo migrationum, *Cromerus* libro primo de rebus Polonorum, *M. Adamus* libro secundo historiæ Ecclesiasticæ, *Blondus*

dus decadis primæ libro octavo, *Petrus Opmeer* in prima parte operis chronologici, & alij.

Hinc non erit mirum, si *Albis* fluvius in *Vandalicis* montibus oriatur; cùm ad Bohemiæ fines in Cerconossijs nascatur.

Ex quibus omnibus liquet: *Slavos Vandalis* non originem suam, sed *Vandaliam* desertam debere. Conclusio digna notatu.

§ III.

Slavos non esse reliquias Vandalorum.

Crantzij argumenta dissolvuntur.

UT *Crantzius* evincat *Vandalorum* reliquias esse *Slavos*, affert pro argumento, Civitates in *Holsatia*, & vicinis mari Balthico provincijs, *Slavonico* nomine appellari, adducitque *Blondi* verba ex libro octavo decadis primæ. *Similitudine*, inquit, *locutionis, ac penè proprietate ostendi eos, qui nunc Poloni, & Boëmi dicuntur, ex Sclavorum reliquijs fuisse. Incoluerunt autem priùs ea loca Vandali: quos credendum est, quando ad Romanorum invadendas provincias sunt profecti, partem gentis in patria reliquisse.*

Sed verò superiori paragrapho abundè responsum credo; de nominibus civitatum *Slavonicè* denominatarum, hoc tantùm addo: cùm reliquiæ *Slavorum*, à Saxonibus quondam devictorum, in eadem *Balthici maris* ora maneant, & linguâ, licèt corruptâ, *Slavonicâ* utantur, cur potiùs à *Vandalis* eæ civitates asseruntur accepisse nomina, quàm à *Slavis* ultimis earum provinciarum possessoribus, præsertim, cùm liqueat *Vandalos Germanos* fuisse?

Conjecturæ *Blondi* oppono morem *Vandalorum* in mutatione sedium, quibus solemne fuit veteres sedes penitùs deserere.

Wandalorum sedes diversæ.

Arguit hoc primùm migratio ex *Dacia*, seu *Transilvania in Pannoniam*, quam *Jornandes* de rebus Geticis capite vicesimo secundo ità describit: *Gebericus, Helderich parte natus, avo Ovidâ, proavo Cnividâ, gloriam generis sui factis illustribus exæquavit, primitias regni sui mox in Vandalica gente extendere incipiens, contra Visumar, eorum Regem Asdingorum è stirpe, quæ inter eos eminet, genúsque indicat bellicosissimum, Dexippo historico referente, qui eos ab Oceano ad nostrum limitem vix in anni spatio pervenisse testatur præ nimia terrarum immensitate. Quo tempore erant in eo loco manentes, ubi Gepidæ sedent, juxta flumina Marisia, Miliare, & Gilsil, & Grissia,* (hodie à Transilvaniæ incolis Saxonibus, Merich, Herisch, Heres, Milenbach, die gela apud Lazium libro undecimo Migrationum dicuntur) *qui amnes supradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab Occidente Marcomanni, à septentrione Hermunduri, à meridie Hister, qui & Danubius dicitur. Hic ergo Vandalis commorantibus bellum indictum est à Geberich Rege Gothorum ad littus prædicti amnis Marisiæ, ubi tunc diu certatum est ex æquali. Sed mox ipse Rex Vandalorum Visumar magna cum parte gentis suæ prosternitur. Geberich verò Ductor Gothorum eximius, superatis, deprædatisque Vandalis, ad propria loca, unde exierat, remeavit. Tunc perpauci Vandali, qui evasissent, collectâ imbellium suorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam sibi à Constantino Principe petière, ibique per quadraginta annos plùs minùs sedibus locatis, Imperatorum decretis, ùt incolæ famulârunt.* Hæc Jornandes. Wandali à Gothis depulsi.

Hinc deinde à *Stilicone* accitos in Gallias irrupisse pridie Calendas Januarias, *Arcadio* septimùm, & *Probo* Coss: qui fuit Annus Christi quadringentesimus sextus, auctor est *Prosper* in chronico.

nico. *Orosius* libro septimo capite trigesimo octavo; *S. Hieronymus* (epistolâ Anno Christi quadringentesimo septimo ad Ageruchiam datâ) Barbaros, & cladem ab eis illatam describens ait: *Innumerabiles, & ferocissimæ nationes universas Gallias occupârunt. Quidquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano, & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ô lugenda Respublica!) hostes Pannonij vastârunt.* Unde conjicere licet, *Vandalos* omnes ex Pannonia discessisse, quam ab anno Christi trecentesimo sexagesimo septimo circitèr incoluerunt.

Vandali ex Pannonia evocati in Rom: Imperium incurrunt.

Ex *Gallia* rursus Anno partûs Virginei quadringentesimo nono *Hispaniam* intrârunt, evocati à *Constantino* Tyranno, devictis *Didymo*, & *Veriniano* fratribus, consangvineis *Honorij* Imp. *Hispaniæ* tutoribus. *Vandalos* autem *Silingis* devictis *Bæticam* sortitos fuisse, & *Gundericum* primum *Regem Vandalorum* in Gallitiæ partibus regnâsse, Auctor est Cæs. *Baronius* ad annum Christi quadringentesimum nonum ex *Cassiodori*, & *Prosperi* chronico, *Orosij* libro septimo, capite quadragesimo.

In Galliam primùm deinde in Hispaniam.

Denique ex *Hispania* in *Africam* trajecisse omnes, asserit *Victor Uticensis* libro primo de persecutione Vandalica. Verba ejus sunt: *Transiens igitur quantitas universa calliditate Genserici Ducis, ut famam terribilem faceret suæ gentis, illico statuit omnem multitudinem numerari, usq; ad illam diem, quam huic luci uterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, juvenes, parvuli, servi, Domini, octuaginta millia numerati.*

Ex Hispania in Africam trajiciunt Wandali.

Porrò in *Africa à Bellisario* gens Vandalica excisa, paucis exceptis, qui cum *Gilimere*, ultimo *Vandalorum* Rege, in triumphum *Constantinopolim* deducti, in *Galatia* aliquot fundis donati consedêre, nomênque vetus amisêre. Incredibile *Gvagnino* videtur perijsse omnes in Africa *Vandalos*, sed tantùm censet, vires eorum adeò fractas, attritàsque fuisse, ut robur vetus, & potentiam pristinam recuperare pòst nunquam potuerint; reliquias verò eorum ità dispersas esse, ut quidam in *Poloniam ad Vistulam* fluvium, natale videlicet solum, unde ortum duxerant, regressi, nonnulli in Græciam, & Pannoniam, Germaniámque novis quærendis sedibus dilapsi sint. Pro confirmatione suæ opinionis refert idem *Gvagninus*, horum reliquias esse ultra *Albim* fluvium in septemtrionem sparsim habitantes, *Slavonico* idiomate majori ex parte uti, ùt & Ducatum, quem incolunt confinem *Prussiæ Vandaliam* nuncupari, cujus *Dux Prussiæ Polonorum feudalis* titulum sibi usurpat.

Wandali excisi.

Gvagninus de reliquijs Wandalorum refellitur.

Verum nè *Crantzio* quidem hoc persvaserit *Gvagninus*, qui sub finem libri primi *Vandaliæ* scribit: pòst cladem in Africa acceptam *à Bellisario*, *Vandalos* semel Duce *Guntarico* rebellâsse, mox compressos, de cætero quietos mansisse, & nomen amisisse. Quomodo ergo ex *Africa in Poloniam Vandali?* Deinde licèt aliqua pars *Vandalorum* in modernam *Vandaliam* redijsset, *Poloniam* occupâsset, quomodo tam citò aucti viris, ut *Justinianus Imperator ab Antibus Slavis* auxilia peteret contra *Hunnos*, ùt docet *Procopius* de bello Gothico libro tertio? nam Anno salutis partæ quingentesimo trigesimo tertio, oppressi sunt *Vandali in Africa*; An: verò Christi supra quingentesimum quadragesimo quinto *Justinianus Imperator* promittit *Slavinis* certam terram, pecuniam, Urbem supra *Istrum*, *à Trajano* ædificatam offert, ut contra *Hunnos*, & alios hostes Romanum Imperium defendant.

Vandali ex Africa pulsi in Germaniam redire non potuerunt.

Ex his omnibus frivolum, ac novitium assertum quorundam esse concludo, qui ex reliquijs *Vandalicis Slavos* natos affirmare non dubitant, decepti nimirum, vel antiquo *Vandalorum* loco à *Slavis* occupato, vel idiomate *Slavo-Germanico*, quo hodie utuntur *Lusa-*

Lusatij, Vindæ, seu *Pomeraniæ* incolæ, *Vandali* dicti. Ostendendum enim aliàs erit, cur, & quando in septemtrionalibus plagis sedes suas retinuerint? quas colonias eò deduxerint? cur pulsi ex *Dacia* in patriam veterem non redierint, in vicinia hostium permanserint? Præterea si sermo hodiernis *Vandalis* natus est ex corruptela *Vandalicæ & Slavicæ* linguæ, commerciorum gratiâ, quid causæ est, quòd *Lusatij* superiores, *Vandalos*, seu *Vindos Pomeranicos, Hungaricósq;* non intelligant, cùm omnes passim *Vendi*, seu Windisch dicantur? Imò, quâ ratione *Russica, Moscovitica, Croatica* lingva, *Slavonicæ* dialecti, à *Vandalis* corruptæ? Afferenda insuper causa, quare *Hispanus* sermo nullam affinitatem habeat cum moderna *Vandalorum*, aut *Slavorum* lingva? siquidem *Goropius Becanus* libro primo hermath: doceat, *Hispaniam* ex *Latina, & Vandalica* exortam fuisse. Verba ejus sunt: *Irruerunt in Hispaniam Gothi, Vandali, Alani, & nonnullæ aliæ gentes, omnes sermone Theutonico, vel inferiore, vel superiore loquentes; quos cùm Hispani non intelligerent, factum est, ut hi, & illi sermonem diversum quoad possent imitarentur: quo utriusque partis studio effectum est, ut mista quædam lingua, neque cum Latina, neque cum Germanica consentiens, enascere.tur; quæ tamen tantò vicinior Romanæ locutioni redderetur, quantò Theutones in aliena lingua imitanda dexteriores fuêre.* Huc usquè Becanus.

Hispaniæ lingvæ origo ex Goropio.

§ IV.

Slavos non esse Riphati, abnepotis Noë, posteritatem, seu Henetos Paphlagonas.

H*Enetæ*, seu *Venetæ* nationis protoplasten fuisse abnepotem Noë *Riphatum*, nepotem *Japeti, Gomeri* filium, asserit *Goropius Becanus* libro nono, & undecimo antiquitatum Antverpiæ, Auctor annalium *Silesiæ* de origine veteris gentis Elysiæ.

Josephus libri primi antiq: Judaicarum capite undecimo, ait *Riphatæos esse Paphlagonas.*

Nomen gens hæc sortita paucis literis diversum. *Heneti & Veneti* Straboni libro quarto. *Eneti* Stephano apud Ortelium.

A *Cimbris Venetorum* nomen habet, quia lacus accoluit. *Ven* namque Cimbris *lacus*, hinc *Veneti*, quasi lacum habentes. Hanc nominis notationem confirmant *Veneti, Paphlagones, Gallici, Adriatici, Sarmatici*, qui omnes inter aquas, & paludes sedes suas fixerunt. *Paphlagones* enim *Meandrius* secundùm orientale latus *Halys* fluvij in *Cappadocia* collocavit; & *Arrianus Parthenium* flumen terminum *Bithyniæ & Paphlagoniæ* constituit, cujus littus *Heneti* accolunt. Idem Herodotus libro primo intimat: *Halys fluvius*, inquit *è Tauri montis radicibus profluens per Cappadociam, & à meridie Syros, ac Paphlagonas interfluens contra Aquilonem in Euxinum mare evolvitur.*

Diversitas Venetorũ & Venedorum.

De *Adriaticis Venetis* etiam patet, & *Livius* libro quinto decadis primæ, loquens de *Germanis* trans Apenninum colonias misisse, subdit: *quæ trans omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui sinum circumcolunt maris, usq; ad Alpes, tenuêre.*

Gallicorum Venetorum habitationem describit *Julius Cæs:* libro tertio de bello Gallico sequentibus: *erant ejusmodi ferè situs oppidorum, ut posita in extremis lingvâ, promontoriisque, neque pedibus aditum haberent, cùm ex alto se æstus incitavisset, quod hìc semper accidit horarum XII. spatio; neque*

navibus, quòd rursus minuente æstu naves in vadis afflictarentur.

Ptolemæus citatus à *Glareano* annotatione sextâ in *Julij Cæs:* librum secundum de bello Gallico, Venetos *maritimos* facit in Lugdunensi Gallia; à quibus non audet affirmare *Strabo* libro quarto, *Venetos* in Italia suum nomen habere.

Raimundus autem *Marlianus* Indice *Julij Cæs:* asserit *Venetos* esse populos inter *Celtas*, ex maritimis civitatibus Oceanum attingentibus, quæ *Armoricæ* appellantur.

Jam *Sarmaticos Venedos*, seu Prussos, credo *mari Balthico*, & tredecim fluvijs, *Prussiam* irrigantibus, copiosè allui, *Cimbricâq;* etymologiæ Venetorum favere. Cur autem *Prussi Venedæ*, seu *Venedi* dicantur, & alij *Veneti*, supranominatus *Becanus* affert hanc causam, quòd *Dani* ea loca occupantes, ab alijs lacuum accolis distingvi voluerint, nomine suæ originis cum *ven*, seu lacu composito.

Petrus Bertius in descriptione *Borussiæ*, recenset ex *Ptolemæo* inter vetustiores ejusdem regionis incolas *Venedos*, additque *Borussiam* divisam fuisse in duodecim Ducatus à *Venedusо* Principe. Quidsi & *Venedusus*, nomen *Venetorum* fecisset *Venedorum*? mihi certiùs videtur deductum à *Vinidis Slavorum*, *Antiúmque Aboriginibus*.

de Henetis. Alterum nomen stirps hæc *Riphatæa* habet apud Græcos *Henetorum*, aut à præstanti cura, & indole equarum, quæ in Paphlagonia *Henetica* nascebantur, ut testatur *Homerus* Iliad: B. aut ex defectu literæ V. quâ Græci carent, unde illis *Eneti*, *& Heneti* dicti, Æolibus *Feneti*. Ego in *Græco Strabone* libro quarto geographiæ legi Οὐένετοι, & libro quinto Ἐνετῶν. Similiter apud *Homerum* in editione Stephani, Βενετιῶν. Causas istas denominationis hujus probare non videtur *Reineccius* tomo tertio de familijs scribens. *Heneti à moribus traxisse nomen videntur; quod tam vernaculæ ipsis, quàm nostra Germanica, vagabundos, seu, ut interpretati sunt Græci, Νόμαδας exprimit. Etsi hodie id Henetis gentibus in usu non sit.* Hæc ille; quæ quàm veritati sint consona, viderit assertor. Licèt enim non sim inscius *Henetos* in *Paphlagonia*, in *Cappadocia*, ad *Cromnam*, in *Illyrijs*, apud *Triballos* habitâsse, à *Leucosyris* ad *Trojam* venisse, cum *Cimmerijs*, *& Amazonibus* militâsse; non video tamen causam, cur *Svevos*, aliósque *Germanos*, toto penè terrarum orbe vagos, etiam *Nomadum* nomine dignata non fuerit Græca Auctoritas.

Cæterùm *Henetum*, *Venetúmque* nomen promiscuum esse Auctoribus præter *Herodotum* in Illyrijs libro primo, *Livius* decadis primæ libro primo refert, *Venetos* appellatos *Henetos*, qui cum *Antenore* in intimum maris *Adriatici* sinum venerunt. *Servius* autem in hos *Virgilij* versus ex primo Æneidos desumptos:

Antenor potuit, medijs elapsus Achivis,
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi,

Heneti Slavicam gentem fuisse quidam affirmant. Hæc scribit: *Antenor non Illyrium, non Liburniam, sed Venetiam tenuit. Ideo autem Virgilius dicit, Illyricos sinus, quòd indè quidam Henetus Rex, qui Venetiam tenuit, à cujus nomine Henetiam dictam, posteri Venetiam nominârunt.*

Itaque & *Heneti* cum *Venetis*, diversis Auctoribus, ijdem sunt populi. Hæc de nomine prolixiùs, ut clariùs rei quæsitæ veritas elucescat.

Venetos porrò, seu *Henetos Paphlagonas Slavorum* faciunt parentes plurimi cum Auctore *annalium Silesiæ*. Argumenta hujus opinionis, quantum mihi dispicere licuit, potissimùm sunt duo: Alterum est petitum à *Strabone* referente, in *Cappadocia Henetorum* Colonia, duas lingvas in usu fuisse: alterum desumitur ex *Ptolemæo*, qui, teste

teste *Becano*, libro undecimo, *Venedas* ponit inter fluvium *Vistulam & Chronon*, & ab illis mare adjacens, *Sinum Venedicum*, & montes, qui *Masoviam* hodie vocatam, ad Orientem claudunt, & *Prussiæ* ad Austrum vergunt, *Venedicos* appellat.

Adstipulari etiam quoad locum *Cornelius Tacitus* videtur libello de moribus Germaniæ, *Venedos* extra fines *Sueviæ* veteris collocans, & quidquid inter *Peucinos*, *Fennósque* Silvarum, ac montium erigitur, latrocinijs pererrare asserens.

Lingua ergo *Heneta*, & locus à *Slavorum* gente possessus, arguunt *Henetorum* esse progeniem *Slavos*.

Refelluntur Authores prioris sententiæ.

Sed perperam id fieri ostendit auctoritas *Strabonis*, libro duodecimo geographiæ tradentis, apud *Halizonas* (Colchos aliqui putant) Henetorum vicinos, septuaginta, vel etiam trecentas lingvas in mercatu solenni auditas fuisse; unde facilè est colligere, plurium lingvarum usum exstitisse in illis provincijs, propter mercium distractionem, & continuum mercatorum commeatum. Secundò suspicari licet lingvarum illarum alteram fuisse *Ægyptiam*, quâ *Colchos Ægyptijs* similes, disertè docet *Herodotus* libro secundo, ùt & *Syrij*, qui fluvium *Thermodoonta*, *& Parthenium* (ubi etiam *Henetorum* sedes) accolunt, Ægyptiorum ritum, mares circumcidendi, sunt complexi. Occasio etiam, seu necessitas *Ægyptij* idiomatis addiscendi *Henetis* seu *Syrijs*, non defuit, cùm *Sestoris* Rex Ægypti povincias illas subactas non solis cippis hieroglyphicis in obsequio suo continuerit, sed, quemadmodum ad *Phasin* flumen, itâ, credibile est, & in alijs locis præsidia militaria reliquerit; quod confirmare videtur *Herodotus* intimando sponte suâ magnam partem exercitûs Ægyptij in illis oris consedisse, *Colchósque* propagâsse.

Alteram lingvam *Henetis* propriam *Cimbricam* fuisse, citatus *Becanus* arguit ex eo, quòd *Heneti Cimmeriorum* commilitones; quòd *Cromnæ* ab *Amazonibus* conditæ incolæ; quòd *Amazonum* mariti; quòd *Paphlagones Riphati* posteritas, qui *Comeri*, seu *Gomeri* filius. Firmátque hæc auctoritate *Josephi*, *Homeri*, *Stephani*, *Demosthenis*.

Quare ingenuè confiteor, me non percipere rationis pondus à duplici *Paphlagoniæ* lingva petitæ, cujus causâ *Slavos Heneto-Paphlagonicâ Stirpe* profectos fuisse, mihi persvadeam, præcipuè cùm *Slavi Pahlagoniam* incoluisse nusquam legantur, neque *Paphlagonia* inter terminos patriæ *Slavorum* ab Auctoribus descriptæ contineatur, quam *Jornandes* describit in hunc modum:

Scythia longè se tendens, latéque aperiens, habet ab Oriente Seres in ipso sui principio ad littus Caspij maris commanentes, ab Occidente Germanos, & flumen Vistulæ, ab Arcto septemtrionali circumdatur Oceano; à Meridiè Persidâ, Albaniâ, Hiberiâ, Ponto, atque extremo alveo Histri, qui dicitur Danubius ab ostio suo usquè ad fontem. Et post hanc Europææ Scythiæ descriptionem, paucis interjectis, subjicit: *In qua Scythia prima gens sedit Gepidarum, quæ magnis, opinatisque ambitur fluminibus. Nam Fisianus per Aquilonem, Chorúmque discurrit. Ab Africo verò magnus ipse Danubius, ab Euro fluvius Tausis secat, qui rapidus, ac vorticosus in Histri fluenta furens devolvitur. Introrsus illi Dacia est ad coronæ speciem, arduis alpibus emunita, juxta quorum sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venit, Vinidorum natio populosa consedit. Quorum nomina licèt nunc per varias familias, & loca mutentur; principaliter tamen Sclavini, & Antes nominantur.* Slavovum primæ sedes. *Sclavini à civitate nova, & Sclavino Rumenense & lacu, qui appellatur Musianus usque ad Danastrum, & in Boream Visela tenus commorantur; hi paludes,*

 silvás-

silvásque pro civitatibus habent. Antes verò, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curvantur, à Danastro extenduntur usque ad Danubium, quæ flumina multis mansionibus ab invicem absunt. Ad littus autem Oceani, ubi tribus faucibus fluenta Vistulæ fluminis ebibuntur, Vidioarij resident, ex diversis nationibus aggregati, post quos ripam Oceani Itemesti tenent, pacatum hominum genus. Hæc Jornandes.

Quæ ut hodiernis Geographorum tabulis respondeant, collocandi erunt primò *Gepidæ in Muldavia*, quæ inspicienti *Gerardi Mercatoris Europam*, refert, non nomine, sed situ fluvios à *Jornande* descriptos, & *Daciam*, seu *Transilvaniam* introrsus in coronæ speciem. *Slavi* deinde ponendi à sinistro latere *Muldaviæ* ad *Vistulam* usque, à dextro autem ad *Danastrum*, seu *Nieper*, qui & major *Borysthenes*. Occupabant itaque *Slavi Podoliæ* fines, *Volhiniam*, *Russiam nigram*, *Poloniam*, *Mazoviam*, *Lithvaniam* cum parte *Moscoviæ* ad fontem *Borysthenis* majoris, seu *Nieper* fluvij. *Antes* postea faciendi incolæ *Podoliæ* ab ostio *Borysthenis* ad ostia *Danubij* cum curvatura littoris Pontici. *Vidioarij* ultimò *Prussiæ*, *Itemasti Pomerelliæ*, *& Cassubiæ* attribuendi.

Hanc declarationem *Jornandis* approbat *Cornelius Tacitus* de moribus Germanorum, dum *Venedos* inter *Peucinos*, *Fennósque* collocat. Nam *Peucini* morantur ad unum *ostiorum Danubij*, *Peuces* dictum, teste *Ptolemæo*, *Plinio*, *Ammiano* apud Ortelium: *Fenni* verò circa sinum *Finnicum*, ùt videre est in thesauro *Geographico Ortelij*; unde sequitur enumeratas superiùs provincias, cum *Livonia*, *Antium*, *Slavorúmque*, seu *Winidarum* habitatione fuisse possessas. Apparet secundò in eadem *Jornandis* explicatione ratio, cur *Cornelius* suspenderit suum judicium de *Venedis*, *Sarmatáne*, *an Germani* forent, dum eos cinctos *Germanis* descripserat. Tertiò tractus isti terrarum silvosi, & montosi opportuni sunt latrocinijs, quod *Tacitus de Venedis* non tacuit, præterquam quòd lacubus abundent nominatæ regiones, quos & *Jornandes* intimavit.

Altera *Slavorum* patriæ, est descriptio *Helmoldi* apud *Crantzium* in Vandalia. Et *M. Adami* libro secundo historiæ Ecclesiasticæ, his verbis: *Slavoniæ latitudo est à meridie in Boream, hoc est, ab Albi flumine usque ad mare Scythicum. Longitudo initium sumit ab Hamburgensi Parochia, & porrigitur in Orientem usquè in Benguanam, Ungriam, & Græciam.* Slavorum in Septentrione patria.

Ejusdem *Slavoniæ & Eginhardus* in vita Caroli M. meminit: *Sinus*, infit, *quidam ab Occidentali Oceano Orientem versùs porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cùm multis locis contractus inveniatur. Hunc multæ circumsident nationes, Dani siquidem, & Sveones, quos Nordmannos vocamus, & septemtrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus Australe Sclavi, & Aisti, & aliæ nationes, inter quas vel præcipui sunt Weletabi, &c.*

Quæ omnia considerando juxta Geographorum placita, quamadmodum inter tam amplos *Slavorum* limites nullus locus est *Paphlagoniæ* jam Natoliæ parti; itá nec *Slavi* erunt *Henetorum Paphlagonum* posteritas. Cur autem passim *Slavi Heneti* à recentioribus Historicis appellentur, causa est, quòd maximas *Sarmatiæ* gentes *Slavi* faciant, ùt infra videbimus *Paragrapho* septimo, quas *Ptolemæus* apud *Reineccium Henetos* universè appellat; vel quia *Venedorum* loco obtinuerunt; vel ex confusione *Venetorum*, *& Henetorum* cum *Winidis*, à quibus ultimis *Slavi* orti.

§ V.

§ V.

Slavis immeritò attribui Aborigines Æolios, filios Elisæ, nepotes Jani, pronepotes Japhet, abnepotes Noë.

Jonios, *Æoliósque Slavos esse* asserit *Miechovius*, libri primi capite primo, & in epistola chronicis Poloniæ ad *Cricium* præfixa, eósque in *Macedonia*, *Dalmatia*, *Albania*, *Histria*, *Croatia*, & cæteris *Slavorum* terris à diluvio Orbis, non interrupto tempore perseveràsse contendit. Pro opinione sua censet primò stare *Josephum* libri primi antiquitatum Judaicarum capite sic scribentem: *Jano autem Japhet filio, & ipso tres habente filios, Elisas quidem Eliseos vocavit eos, quorum princeps fuit, qui nunc sunt Æolij.*

Scientia eorum, qui Slavos ab Æolijs processisse existimarunt.

Secundò. In Urbibus *Macedoniæ*, *Philippopoli*, *Scopia*, *Ragusio*, in vicis, villisque versùs Thessaliam, putat *Miechovius* perpetuum fuisse lingvæ *Slavonicæ* usum.

Tertiò. *S. Hieronymum* literaturam *Slavis Bukvviciam* nuncupatam edidisse, & Ecclesiastica officia sub eadem literatura ijsdem ordinasse, quòd negare in *Histria*, *Dalmatia*, *& Croatia* sacrilegum sit: quæ populorum traditio, & ætas *S. Hieronymi* evincere videntur, *Slavos* ante *Justiniani Imp.* tempora notos exstitisse.

Bukvicia literatura apud Slavos quæ sit.

Quartò. Nomen *Jani Ivani*, *Slavis* usitatissimum, arguit *Javani*, seu *Jani Slavos* esse genus.

Quintò. Commune judicium scriptorum Polonorum, quibuscum sentiunt apud *Cromerum* libri primi capite secundo *Hagecius*, *Przibislaus & Cosmas* Boëmi, *Joannes Merignola*, *Callimachus* Itali, docentes *Slavos* esse *Dalmatas*, potéstque id confirmari adventu *Czechi & Lechi* ex *Dalmatia* in *Boëmiam & Poloniam*, qui indè novas colonias non eduxissent, si primi *Slavi in Illyrico*, conjunctisque provincijs non habitâssent.

Tandem addo, si auctoritate *Jornandæ* definita *Slavorum* mansio, superiori paragrapho explicata, omnes veritatis numeros habeat, difficile erit afferre causam, quare *Lechitæ* non ex vicina *Poloniæ* regione majorem *Poloniam*, & potiùs ex *Dalmatia & Boëmia* eandem ingressi fuerint, quâ difficultate immunis videtur esse præsens opinio.

Calidior *Miechovij* illa epistola, quàm nervosior, nè *Polonis* quidem persvasit, incunabula, suæ gentis in *Illyrico* ante cunas Christi reperiri. Nam *Cromerus* præfati libri cap: quarto, & tertio, probat horum nihil, aitque hanc opinionem niti potissimùm argumento locorum, quæ *Slavi* modò incolunt: at id imbecillum esse, ex eo apparet, quòd *Appianus Alexandrinus* cum *Ptolemæo*, illarum gentium Urbes, ùt *Segestum*, *Delminium*, (à quo *Dalmatæ* dicti *Saliano & Mercatori*) *Salonam*, *Scordonam*, *Jaderam*, & fluvios *Naronem*, *Savum*: populos *Scordiscos*, *Triballos*, *Dardanos &c.* describant, quæ nomina nihil affinitatis habent cum *Slavorum* lingva, sicut notationem *Slavicam* redolent moderna: *Zagrabia*, *Belogradum*, *Cluci*, *Novigradum &c.* *Reca & Dobra* fluvij, *Craina* regio seu territorium. Unde idem *Cromerus* rectè conjicit, post *Appiani & Ptolemæi* tempora *Slavos* his terris primùm potitos fuisse. Infirma pariter *Miechovianæ* opinionis basis, tam vetustis titulis ab *Elisa* petitis succumbit, si *Æolica* lingva, utpote *Græca*, *Slavonico* sermoni conferatur, quarum dissidium, condemnat, aut ingratitudinis *Slavos*, qui nè sermone quidem patriam referunt; aut impietatis *Æolos*, qui suis filijs patriâ terrâ, & lingvâ interdixerunt. Neque *Slavini* idiomatis perennitatem in *Dalmatia*, *Pannoniáque S. Hieronymus*, & S.

An S. Hieronymus Biblia in Slavicum idioma transtulerit.

& S. Martinus ante *Justiniani* Imperium ibidem nati demonstrant, nisi ostendatur enucleatiùs auctoritate antiquâ, eosdem Divos *Slavos* fuisse. Nam translatas *Divinas* litteras, & Ecclesiæ officia ordinata *Slavonicâ* literaturâ à S. *Hieronymo*, sinè metu sacrilegij *Croatici, Dalmaticive*, inficiari tutè possum, absolutus ab *Eminentissimo Cardinali Bellarmino*, dicente libro secundo de Verbo DEI, capite decimo sexto: nusquam apud Hieronymum, vel apud ullum veterem legi, *Hieronymum vertisse in linguam Slavonicam Divinas litteras.* Imò ipse *D. Hieronymus* argumentum nobis subministrat, qui suas lucubrationes diversis in locis enumerat, earúmque *S. Augustinus & Cassiodorus* apud *Cæs. Baronium* in annalibus ad Annum Christi quadringentesimum vigesimum mentionem faciunt, *Slavonicæ* literaturæ nullum vestigium apud eosdem exstat, idque mirum silentium jure videri potest, quòd Psalterij juxta LXX. Interpretum versionem à se emendati Romæ, meminerit ipse *Hieronymus* in Apologia contra *Ruffinum*, & scribens in *Dalmatiam* sæpius, fratrémque suum ad distrahenda prædia paterna in patriam remittens, neque per illum, neque per literas *Bukvviciæ*, aut ordinati officij Ecclesiastici in *Slavonia*, meminerit; cùm tamen compertum sit *D. Hieronymum* sæpius sua scripta varijs intimâsse, ut sincera à supposititijs dignoscerent.

Exstat demum epistola *Gregorij* VII. libro septimo epistolarum ejus manu scriptarum, ad *Ducem Boëmorum*, in qua dicit, se justis de causis non voluisse postulantibus *Boëmis* permittere, ut *Divina Officia linguâ Slavonicâ* celebrarent; quod profectò sapientissimus Pontifex non fecisset, si *Damasum Papam*, *Slavis* hoc ipsum operâ *Hieronymi* indulgentem advertisset; aut certè concessioni *Damasi*, propter abusus aliquos, Apostolicâ auctoritate derogâsset, cujus tamen derogationis nullum reperitur signum. Novitium itaque illud commentum de literatura *Hieronymiana* reputo, cùm aliàs multa fabulosa attributa fuisse S. *Hieronymo* legamus apud *Baronium* in Annalibus ad Annum Christi trecentesimum octuagesimum quartum.

Cùr S. ... annis n... men Sl...is in vene...i-one fu...t. *Curam.*

Ivani, seu *Jani* porrò nomen *Slavis* est celebre à *D. Joanne Baptista*, quod parum alioqui æqvus Divis colendis *Auctor annalium Silesiæ in Casimiro* dicto monacho annotavit, ut omittam alterum Silesiographum recensentem, *Henricum Barbatum* suis diplomatis in hæc verba principium dedisse: *Nos Henricus* DEI, *& S. Joannis Baptistæ gratiâ Dux Silesiæ, &c.* Aut ut non revocem notissima *Boëmis de S. Ivano & Jaromirio* Duce, à sagittis hostium ope *D. Baptistæ* servato.

Schickfs...

Præterea nemo negat, *Japheti*, seu *Jani, Slavos esse* progeniem; sed *Elisæ* non esse sobolem, patet ex *Chronico Alexandrino*, docente ab *Elisa Mauros* prodijsse.

Quâ ...io-ne dic...of-sit: *C...* *& Le...* *ex Illy...*o venisse ...ne-que t...en. Illyric...n Patri... ha-buisse

Quod attinet ad *Boëmorum, Polonorúmque* scriptorum consensum, difficilis non est responsio, dicendo *Czechum & Lechum* ex *Dalmatia*, seu *Illyrico* omnino in *Boëmiam*, & majorem *Poloniam* venisse, utramque gentem feliciter condidisse; sed *Czechi, Lechive* atavus, reliquive majores, an in Illyrico nati fuerint, neque exules illos *Illyrij*, & advenas *Bohemiæ, Poloniáque* tradidisse, neque eorum scriptores demonstrâsse.

Certè *Gordonus* in sua chronologia asserit ex epistola *Gregorij M.* septimo *Mauritij Imper:* anno, qui fuit *Christi* quingentesimus nonagesimus, *Slavinos è Scythia* oriundos, eam *Pannoniæ* partem occupâsse, quæ nunc ab illis *Sclavonia* dicitur; quod tempus collatum cum *Czechi* adventu in *Boëmiam*, (qui contigisse Anno Christi sexcentesimo trigesimo nono, Auctore *Cutteno* historico Boëmo, & alijs dicitur) quàm exiguum sit, nemo non advertit.

Atque hinc nullo negotio quisque assequi valebit, non sequi *Slavos* ideo à dispersione gentium semper fuisse in *Illyrico*, quia inde in *Boëmiam Czechus*, & *Lechus Slavonicam* coloniam deduxerint, cùm & illi advenæ *Illyrij* potuerint dici.

Quare cùm *Miechovij*, aliorúmque rationes sub initium hujus Paragraphi allatæ non subsistant, nec *Æolij me* plagij jure convenient, quòd *Slavos* illorum familiæ surripuerim.

§ VI.

Non videri Slavos Roxanorum, seu Roxolanorum, Russorúmve progeniem esse.

Opinio eorum qui Slavos Russis tum trahere autumant.

Rejectis diversorum opinionibus, *Salomon Neügebaur*, & *Martinus Cromerus* de origine Slavorum, concludit tandem capite decimo libri primi, *Slavos à Russis* prodijsse; qui *Ptolemæo* libro tertio capite quinto, *Plinio* libro quarto capite duodecimo, *Tacito* annalium decimo septimo, seu historiarum primo, *Roxolani*; *Straboni* libro septimo *Roxani* dicuntur.

Fundat suam sententiam *Cromerus* in antiquitate *Roxanorum*, qui posteriùs *Russi* appellati; & in amplitudine *Russiæ*: siquidem ferè in se continet, quidquid terrarum est inter *sinum Venedicum*, *Livoniam*, *Sveciam*, *Oceanum glacialem*, *Rha seu Volgam*, *Mæotim*, *Mare Ponticum*, *Sarmaticos montes*, *Poloniam*, *Lithvaniam*, & *Samogitiam*, quas provincias à *Slavis* possessas, declaratum est superiùs paragrapho quarto, explicato *Jornande*, *Tacito*, *Adamo*; quarum terrarum aliquas incoluisse *Roxanos*, auctores sunt nominati superiùs *Ptolemæus*, *Tacitus*, *Plinius*, *Strabo*.

Gvagninus de origine gentis Sauromaticæ agens, refert: post *Vandalos ex Saurmatia*, sedibus à fluvio *Tanai*, & paludibus Mœotidis *Roxolanos*, *Rossanos*, *Rutenos*, *Russósque* dictos, prodiisse, *Procopio* historiographo id attestante: *Volgaros* quoque ex ijsdem sedibus à *Volga* fluvio exijsse, *Slavonico* sermone cum *Roxolanis* concordantes, amicitiâ insuper firmatâ, conjunctis viribus in *Tauricæ* regionem, quæ nunc à *Tartaris* Præcopiensibus occupata est, penetrâsse, inibíque locum domicilio sibi delegisse; indè, crescente populo, & dissidio inter Christianos Principes gliscente, in *Thraciam*, & *Mysiam* aliquos; *in Russiam*, *Podoliam*, *Lithvaniam*, *Podlessiam*, & *Masoviam* reliquos excurrisse, in terrísque illis domicilia sua fixisse, variáque nomina à locis accepisse, & hos *Polonis*, cæterisq; *Slavis* genus dedisse. A *Sudetis* verò ad *Sarmatas* remittit *Originis Slavicæ* cognoscendæ cupidum, iniqvus inviæ dux viæ, qui peregrinum dubio deseruit calle.

Hæc opinio licèt affinis sit veritati, mihi tamen satis securæ fidei non apparet.

Refellitur superior sententia.

Nam in eadem *Europææ Scythiæ*, seu *Sarmatiæ* plaga, *Basternas* antiquiores *Roxanis*, *Roxolanisve* apud *Stephanum*, *Orteliúmque* lego, quorum pars, seu tribus, *Roxani* tantùm cum *Peucinis*, & *Atmonis*. *Livius* etiam libro quadragesimo historiæ Romanæ, sub annum Urbis conditæ quingentesimum septuagesimum quartum (ùt vult *Salianus*) *Basternas*, *seu Batarnas*, *à Philippo Macedonum* Rege evocatos Duce *Clondico* trans Istrum narrans, *Dardaniam* occupâsse; & libro quadragesimo primo, anno U. C. quingentesimo septuagesimo sexto cum *Dardanis* depugnâsse; de ijsdem, *Dardanos* Romæ sequenti anno (juxta *Polibium* apud Salianum) questos, *Scordiscis Bastar-*

Urbis conditæ.

starnas linguâ, & moribus æquales docet. Unde in parte *Pannoniæ* jam tum *Bastarnarum* consangvinei morantes, ampliorem reddunt *Slavorum* patriam, quàm *Roxani*.

Nec contemnendum hoc vetustatis, reor, argumentum, quod *Chronicon Alexandrinum* Raderianæ editionis subministrat, *Bastarniam* intra limites *Japheti* constituendo, & *Bastarnas* literas novisse, memorando. *Bastarnas* insuper *Persen* secutos fuisse in bellum *Argonauticum* anno *mundi* bis millesimo octingentesimo vigesimo primo, docet *Valerius Flaccus* in Argonauticis libro sexto sequentibus carminibus:

Illinc juratos in se trahit Æa Batarnas,
Quos, Duce Teutagono, crudi mora corticis armat,
Æquáque nec ferro brevior, nec Rhomphea ligno.

Præterea ipse *Cromerus* libri primi capite sexto, auctoritate *Jornandis* efficaciter ostendit, diversos esse *Vandalos à Winidis*, hósque posteriores in *Venedos Sarmaticos*, *Slavos & Antas* præcipuæ virtutis tribus dispertitos esse; quomodo ergo *Russi* potiùs, & non *Winidæ* dant *Slavis* originem?

De *Sauromatis Gvagnini*, & alterius cujusdam de Sarmatis narrata, face & indice egent.

§ VII.

Slavos suum genus rectè referre ad Mosoch, seu Meschec, sextum filium Japhet.

Mosci vel Moschi orti à Mosoch filio Japhet

AB hoc *Moschiam*, seu *Moschoviam* inhabitatam, & denominatam probabiliùs esse affirmat *Genebrardus, Arias Montanus, Mercerius* apud *Salianum* tomo primo Annalium Veteris Testamenti, sub A. M. millesimum nongentesimum trigesimum primum.

Neque obstat *Josephus*, *Moschinos Cappadocas Mosoch* attribuens, cùm ipse incertus id conjiciat ex *Maraca* Cappadocum Urbe, & *D. Hieronymus* opponat illi LXX. Interpretes, qui alios *Cappadocas* faciunt. *Chronicum* deinde *Alexandrinum* inter populos proseminatos à *Japheto*, qui à *Media ad Hesperium* usquè Oceanum diffusi, *Boream*, seu *Aquilonem* respiciunt, enumerat *Mossionæcos, & Mæotas*.

Noti insuper *Moscheni* populi, & *Moschorum* tractus *Plinio* libro sexto capite decimo nono: *Straboni* finitimis Colchis, libro vigesimo primo geographiæ apud *Cromerum*. Noti etiam *Lucano* libro tertio canenti:

Sævisque affinis Sarmata Moschis.

Quæ omnia antiquitatem gentis insinuant; quod & annales hodiernorum *Moscovitarum* confirmant, à multis seculis illas sedes gentem *Moscorum* tenere, asserendo.

Slavi à [Mos]chis v[eri]-probab[iliter], imò à [cer]-tiore [quam] lo possi[bili]-tis Mo[sch]...

Hæc porrò *Moschorum* vetustas vendicare sibi videtur prima *Slavorum* in Europa incunabula; cùm *Wilsi*, seu *Weletabi* apud Eginhardum: *Uncrani* apud *Rheginonem*: *Vehri*, *Hevelli*, *Lusici*, *Lisicavici*, *Wloini* apud Witichindum: *Liutici* apud Hermannum Contractum: *Sclaveni* apud Procopium libro quarto: *Czechi*, *Poloni*, *Croatæ*, *Silesij*, *Pomerani*, *Bosnenses*, *Rasciani*, *Dulebiani*, *Drevvulani*, *Tmuvvlani*, *Volinij*, *Podolij*, *Paluci*, *Masovij*, *Moravi*, *Sorabi* apud *Cromerum*, denominationis sint recentioris.

Jam lingva *Moschorum* Slavonicam originem sapit, & sæpius attributæ *Slavis* provinciæ, ex parte etiam nunc limitibus *Moschovitici* Imperij continentur; siquidem, teste *Petro Bertio* in descriptione Russiæ, *Moschovia ab oris Alexandri M. circa Tanais fontes ad extrema terrarum Borealémque*, sive glacialem Oceanum extenditur longo tra-

tractu: ab ortu habet finitimos Scythas, qui *Tartari* hodie appellantur, genté vagam, & omnibus sæculis bello illustrem, ab occidente *Livonia* illi, & *Finlandia*, ad Austrum *Lithvania*.

Conferat jam quispiam hanc Topographiam *Moschoviæ* cum definitione patriæ *Winidarum Slavorum*, facta à *Jornande*, an clarissimè nō dispiciet magnam partem primæ *Slavoniæ* limitibus *Moschoviæ* includi? Accedit non levis conjectura, *Musianum* lacum esse hodie stagnum *Ilmen*, seu *Ilmer*, XII. milliaria Germanica latum, sitū supra *Novogradiam*, veriùs *Novogradum*, seu *novam civitatem* Slavino, ad quam *Jornandes Slavis* nomen ortum fuisse tradit, quam itidem *Moschoviæ* esse nemo negare potest.

Nec rejiciendum censeo, nomen *Tanais* fluminis, *Europam* ab *Asia* separantis, diversum, cùm *Amazonius*, *Auctori* de fluminibus, & montibus, *Ciofanóque* teste, apud *Ortelium*, indigenis *Amesicies* dicatur: ùt enim nomina hæc à *Meschec* sui principium omnino non respuunt (siquidem pateat limitanea flumina à suis Principibus, & coloniarum Ducibus sæpe accepisse nomina) ità decursu temporis, & alienigenarum scriptis facile mutationem aliquot literarum senserunt. Quid quod ignotum antiquis *Tanais* fontem *Moschovia* habeat, & *Mnesech*, seu *Msczenecia*, *Moschoviæ* provincia originem *Oecæ* fluvij infra *Novogradiam* inferiorem *Volgam* ingredientis ostendat, ut plura loca ejusdem *Moschoviæ* taceam, quæ aliquid nominis *Mosoch* retineant, quemadmodum in tabula *Russiæ Mercatoris* clarè apparet.

Ad hoc nomen credendus est allusisse *Joannes* quidam *Danielis* filius, qui post divisum in multos principatus *Russorum Imperium*, à flumine, atque ab Arce *Mosqua*, seu *Moscha*, obscura priùs, sede deinde sui *Ducatus* illustri, certum territorium *Russiæ* appellavit, sapienter præsagiens *Patriarchæ* sui *Mosoch* nomen in plures populos, non sine gloria postliminio rediturum. Neque vanum ejus augurium fuit: quandoquidem, ubi præfati *Joannis* hæredes adjunctis sibi proximis quibusque ejusdem nationis, & lingvæ Principibus, paternum Principatum longè, latèque cum *Moschi* nomine amplificâssent, cæteri quoq; *Russorum* populi, *Wladimirienses*, *Novogrodenses*, *Jaroslavienses*, *Thuverenses*, *Mozaiscenses*, *Susdali*, *Pscovenses*, *Rozanenses*, *Severienses*, & alij in *Moschorum* nomen abiêre.

Objectiones in contrarium solvuntur.

Unde non habet *Cromerus* evidentem rationem, quâ convictus cogatur negare *Mosoch* esse posteros *Slavos*; præsertim, cùm libri primi capite nono, fateatur antiquiores, & nobiliores, quàm *Moschi à Danielis* filio nominati, fuisse *Mosaicenses Russos*, & antiquitus fluvium cum Arce *Moscha*, seu *Mosqua*, in ampla illa *Russia* denominata exstitisse; quod an manifestum indicium non sit posteritatis *Mosoch*, judicent sapientissimi antiquitatis eruderatæ Censores, quibus notum, perspectúmque est, nihil in terris fuisse adhuc illustre, quod temporum cursu non reddatur obscurum, & ignobilia nobilissimorum Regnorum semper exstitisse exordia.

Neque titulus Metropolitæ *Kioviensi* olim, nunc *Moschico*, *à Patriarcha Constantinopolitano* datus, aut à magnis *Moschoviæ* Ducibus usurpatus, *Russiam* totam sacræ, profanæque potestati eorum subjiciens, *Russos Slavorum* faciet *Aborigines*, quod *Cromerus* intendit. Nam *Russiæ* æquè, ac recentium *Moschovitarum* nuper natum nomen, & fortasse tam *Metropolita Kioviensis*, quàm *Dux Moschoviæ* antiqvum suum jus in *Russiam nigram & albam* prætendit, ideóque *Russiam* sinè limitatione suo titulo inserit; quod an legitimè faciat, viderint illi, quorum interest.

Cur exigua apud Veteres Moschorum memoria.

Cæterùm duo manent explicanda: alterum, quare in historia Romana, Græcâque antiquiori, etiam de bellis

Sarmaticis agente, exigua sit *Moschorum* memoria? alterum est, quomodo *Jornandæ* auctoritati satisfiet, qui disertè affirmat, *Slavos* esse partem populosæ *Winidarum* nationis? Par difficultas est de *Russis*, quam licèt *Cromerus* conatus fuerit *Roxolanorum* nomine tollere, à *Winidis* tamen reus plagij meritò agitur.

Non placet ad *Scytharum, Sauromatarum, Sarmatarúmque* nomen confugere, licèt apud *Goropium Becanum* legam ex *Plinio*, *Scytharum* nomen usquequaque transiisse in *Sarmatas*, atque *Germanos*; atque ex *Ptolemæo, Mela, Dionysio, Europæam Sarmatiam Vistulâ, & Tanai* finiri advertam, præter illa, quæ *Curtius* libro septimo, & libro sexto de *Scythia*, tam Europæa, quàm Asiatica scriptis mandavit.

Reinerus Reineccius tomo tertio de familijs, *Henetorum & Moschorum* auctorem facit *Mosoch* seu, *Meschec*, filium *Japheti*, nobiscum; at *Heneti* notissimi *Homero, Herodoto*, Straboni, *Ptolemæo, Apollonio* in Argonauticis, ùt vidimus paragrapho quarto, quidni sub *Henetorum* nomine etiam *Moschi*, quibus id nominis attributum universè, ùt & cæteris *Sarmatis*?

De Bastarnis.

Bastarnarum nomine comprehensos *Moschos*, seu *Mosoch* omne genus fuisse crediderim, suspicórque *Bastarnas* ipsos à *Mosoch* prodijsse, & cùm alios Scytharum, Sarmatarúmque ab agricultura *Aroteras*; alios à pastu pecorum *Nomadas* Græci dixerint, indiciũ mihi est, corruptum S*lavonicum* vocabulum Pastýř/ quod pastorem significat, Græcis *Bastarnas* condidisse.

Sed & *Moschos* ab armentis nomen accepisse, apud Græcos arguit Græca vox Μόσχος, vitulum, seu bovem *Euripidi* significans. *Bastarnarum* deinde nomen à Græcis *Romani* Historici mutuati, septentrionales populos eodem appellârunt universè ideo, quia *Aquilonares* regiones antiquis minùs perspectæ fuerunt.

Fatetur hanc ignorantiam Strabo libro septimo scribens: *Quid autem sit ultra Germanos, & alios eis confines, sive illi sunt Bastarnæ, ut plerique putant, sive alij interjecti, sive Jazyges, sive Roxolani, sive alij in curribus domicilia habentes, non est facilè dictu.* Præterea *Moschos* sub *Bastarnarum* nomine intelligendos esse, videtur etiam Strabo eodem libro insinuare, locum, seu habitationem eorundem describendo, qui S*lavis* olim adscriptus; *Regionis*, inquit, *totius, quæ inter Istrum, & Borysthenem intervallo superjacet, prima portio, & solitudo Getarum; deinde Trygetæ, post hos Jazyges* Sarmatæ, *& qui Basilij, id est, Regij dicuntur, & Urgi, quorum plerique etiam sæpe ad utramque Istri partem habitâsse feruntur. In mediterraneis Bastarnæ sunt, Trygetis, ac Germanis confines, &c.*

Quem locum clariorem reddidit *Philippus Cluverius*, libro tertio Introductionis geographicæ, asserens *Bastarnas à Vistulæ dextra ripas ad ostia usq; Istri incoluisse, ipsas quoque ostiorum insulas tenuisse, Peucinorum nomen argumento est.*

Nec moveatur quispiam isthic *Plinij* auctoritate, *Bastarnas inter Germanos* collocantis, aut dubitantis S*trabonis* libro septimo, an *Bastarnæ* forent ex *Germanis* nati; scripserunt namque id divinando potiùs, ex vicinitate *Germanorum*, cùm illis *Germania, Sarmatiáque* obscurior esset, ùt ipse *Plinius* non diffitetur libro quarto, capite de *Germania*.

Quanquam quid *Bastarnis* notiores *Moschos* reddo, cùm ipsi *Moschi* adeò novi homines Rempublicam Mundi non accesserint, quos Anno Mundi termillesimo quingentesimo trigesimo tertio, *Dario Hystaspis filio Persarum Regi* trecenta talenta tributi nomine persolvisse testatur *Herodotus* libro tertio, & eosdem *Moschos*, seu *Mussynæcos* in exercitu *Xerxis* sub A. M. termillesimum quingentesimum septuagesimum tertium, ligneas circa capita

cassi-

cassides gestâsse, scutáque ac hastilia brevia, sed longa in hastilibus spicula, (aliquid simile de *Sarmatis Corn. Tacitus* libro primo historiarum) habuisse, idem *Herodotus* libro septimo enarrat.

Meminit eorundem *Valerius Flaccus* libro quinto Argonaut:

Vos quoq, non notæ mirati vela carinæ Mossinæci.

Et *Tibullus* in panegyrico ad Messalam:

Quáque Hebrus Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos.

Magynos aliqui legunt, qui tamen ab *Ortelio* vocantur etiam *Scythiæ* populi.

Et quamvis non diffitear *Mossynæcos* aliquando fuisse *Asiæ* incolas, nec infallibiter definiri possit tempus migrationis eorum, *ex Asia in Europam*; hodiernos tamen *Slavos & Moschovitas* aliquid *Asiaticorum Mosinorum* habere, arguit usus lignearum domorum, à quibus vetusti illi *Stephano*, *Lignei Mosynæci* dicti, ùt tradit *Ægidius Maserius* commentator in *Valerij Flacci* librum quintum Argonauticorum.

Huc etiam spectare videtur, quod *Halicarnassæus* libro primo antiquit: Rom: agens de *Tyrrhenis* subjicit. *Hos quidem ajunt indigenas esse Italiæ, quidam advenas: & qui negant eos externi esse generis, nominatos dicunt à domicilijs munitis, quæ primi in his regionibus struxerunt. Turres enim, & Tyrrheni, ùt Græci thyrses, clausa muris, & firma ædificia nominant. Volunt igitur ex re nomen eos invenisse, sicut Mosynæcos in Asia. Nam & illi habitant ligneas quasi turres compactas celsis trabibus, ipsi vocant Mosynas.* Hæc ille.

Ex quibus omnibus patet, *Slavorum Aborigines* penitùs Orbi ignotos, degenerésque non fuisse.

Su[illegible]cio scri[illegible]oris.

Quod attinet ad *Jornandem*, *Slavos Winidis* attribuentem, responderi potest posteriori ævo *Bastarnarum* nomen in *Winidas* transiisse, quos ego arbitror dictos à *Slavonico* vocabulo **Wina**/ culpa seu pœna, unde **Winicý**/ Rei, damna inferentes, & **Winiti**/ damnum inferre, peccare, plectere significat, diversæ *Slavonicæ* linguæ dialectis. Poterant itaque *Bastarnæ Attilæ* commilitones, *Winidos* se appellare, quasi plectentes peccata, exemplo sui Imperatoris, qui *Flagellum Dei*, dictus.

Hanc conjecturam certiorem reddit *Iornandes* de rebus Geticis capite vigesimo tertio scribens, *Slavos suo tempore (ità facientibus peccatis) ubiq, desævire.* Aut certè *Bastarnæ* illi, qui ad bella extra suam patriam diversis occasionibus ablegabantur, nuncupati sunt *Winidi*, seu *Vendi*, à Patria lingva, **Wen dij**/ hoc est, *foras proficiscere* (tale aliquid de *Vandalis* paragrapho secundo) cùm sciamus morem Svevorum fuisse, ut certi ex singulis pagis ad bella communia toti genti mitterentur, & *Jormandes* insinuet præcipuos esse *Antas*, *Slavos*, *Venedos* in populosa natione *Winidarum*, ex bellis, utpote præclarè gestis, contra Romanos notiores. Et *Crantzius* quidem ex *Helmoldo* refert *Winetam* nobilissimum emporium in ostio *Oderæ*, quà *Balthicum* alluit pelagus, genti *Slavonicæ* nomen dedisse *Vinidarum*; sed quis ejus *Conditor*?

Hæc de nomine *Winidarum* eò certiora quivis censebit, quò recentiori memoriâ tenebit querelam communiorem historicorum, & de inopia scriptorum, qui res *Scythicas*, & *Sarmaticas* complecterentur; & de mira nominum varietate, & mutatione, quibus ijdem populi fuerint denominati, ùt docet *Ortelij* thesaurus Geographicus in voce *Scytha*.

Atque ex his omnibus constat non à modernis *Moschovitis*, sed ab antiquiori illa posteritate *Mosoch* stirpem *Slavorum* rectè deduci per *Mosynos*, *Bastarnas*, *Winidas*, ampliúsque eorum solum, vetustius *Basternarum* nomen esse, quàm *Russorum* sit, fueritve.

§ VIII.

De Literis Alexandri Magni, quas Slavicæ Genti dedisse scribitur, déque tempore adventûs Czechi & Lechi Ducum Bohemiæ & Poloniæ.

FLoruisse *Slavorum* in mundo gentem ante occidentale Imperium tempore *Alexandri M.* ab illóque in præmium strenuè navatæ militiæ aquilonares occupâsse provincias, & ejusdem jussu cum Gallis in Europam venisse, author est apud *Paprocky* Boëmicorum stemmatum scriptorem, *Vincentius Kadlubek* Episcopus Cracoviensis in suo Chronico scripto sub A.C. millesimum ducentesimum septimum, afferens suæ assertionis testes literas *Alexandri M.* in hæc verba:

Nos Alexander Philippi Regis Macedonum hæres, Monarcha figuratus, per Nactanabum annunciatus, summi Dei filius, allocutor Brachmanorum, Solis & Lunæ conculcator, à Solis ortu ad occasum, à septemtrione ad meridiem Dominus, Illustri Prosapiæ, ac linguæ Slavorum, Massagetisq; salutem.

QUi nobis semper in fide veraces, in armis strenuissimi, nostri milites, & coadjutores robustissimi fuistis, damus vobis hanc totam plagam terræ, quæ extenditur ab Aquilone usquè ad partem Italiæ meridionalis, ut nullus ausus sit isthic manere, aut se locare, nisi vestrates, & quicunque alienus inventus fuerit illic manens, sit servus vester, & ejus posteri servi vestrorum posterorum.

Datum ex magna Alexandria novæ fundationis nostræ, super magno Nilo fluvio Ægypti, arridentibus nobis magnis Dijs, Jove, Plutone, Marte, & maximâ Deâ Minervâ. Testes autem hujus rei Illustris Anstellus Tritoteca noster, & alij undecim Principes, quos nobis sine prole decedentibus relinquimus nostros hæredes, & totius Orbis successores. Anno Regnorum nostrorum undecimo.

Plurima hanc donationem dubiæ reddunt fidei.

I. Barbaricus nominis fastus, cujus nullum exemplum in *Q. Curtio, Arriano, Diodoro, Siculo, Plutarcho* exstat; qui tamen multarum *Alexandri* epistolarum mentionem faciunt. Refut[atur] Alexa[ndri] M. lit[eræ].

Nôvi equidem à *Plutarcho* scriptum in *Alexandro*, eum omnino adversùs barbaros inflatum fuisse, & mirè præfetulisse probatum sibi ortum, & stirpem suam Divinam; ad Græcos verò divinitatem usurpâsse modicè, & parciùs; apud *Arrianum* tamen libro secundo, idem *Alexander* jam victor scribit sequentia *Dario*: *De reliquo quando ad me scribes, ad Asiæ Regem scribere te memineris; neque tanquam ad parem scribe, sed veluti omnium tuarum rerum Domino significa, quid petas.* Et apud *Curtium* libro quarto: *Rex Alexander Dario, ille, cujus nomen sumpsisti.* Et infrà: *De cætero cùm mihi scribes, memento non solùm Regi te, sed etiam tuo scribere.* En quo titulo usus, & quem ambivit à barbaro Rege?

II. Nomen *Slavorum*, à nullo, *Alexandri* gesta scribentium reperitur signatum; nec signari potuit, cùm cœperint *Slavi* hoc nomine clarere post *Alexandri* mortem *Illyricum* invadendo A.C. DXLIIX. juxta calculum *Baronianum*.

III. *Massagetæ & Slavi* dicuntur fidelem, & strenuam operam militiæ *Alexandri M.* navâsse; at in enumeratione copiarum ejusdem, non modò apud veteres historicos nulla eorum memoria; sed etiam *Curtius* libro quarto refert *Massagetas* II. millibus agmen *Darij* clausisse, & *Bessum à Dario* admonitum, ut *Massagetas* equites in *lævum Alexandri* cornu invehi juberet.

ret. Apud eundem libro sexto ipse *Alexander* ad milites ait: *Sogdianos, Dacas, Massagetas, Sagas, Indos*, sui juris esse, omnes hos simul, si terga *Macedonum* viderint, secuturos utique hostes. *Arrianus* itidem libro quarto narrat, *Massagetas* cum *Scythis* conjunctos depugnâsse contra *Craterum Alexandri* Ducem, & re malè gestâ *Bactrianorum & Sogdianorum* sociorum impedimentis direptis, cum *Spitamene, Alexandri* adversario, in solitudinem confugisse. Quòd si in *Indiam Scythæ & Dacæ* deinde secuti *Alexandrum*, & primi invasêre *Pori* Regis exercitum, ùt *Curtius* libro octavo tradit; adeóque quispiam censeat *Slavos Scytharum* nomine fuisse comprehensos, indè his literis non adstruet fidem, cùm redux ex *India Alexander* nusquam in *Ægyptum* revertisse legatur, ubi tamen illud diploma datum fuisse asseritur. Nec *Paphlagones, Henetorum* patres, donationem hanc *Alexandri* robustiorem reddunt, etsi sub eorum nomine *Slavi* latuissent: hi namq; pariter in castris *Darij* militant contra *Macedonas*, teste *Curtio*, libro quarto referente, *Darij Prætores*, qui prælio apud *Isson* superfuerant, cum omni manu, quæ fugientes secuta erat, assumptâ etiam *Cappadocum & Paphlagonum* juventute, *Lycham* recuperare tentâsse.

Et licet *Arrianus* libro primo, *Gordij Alexandro* moranti legatos *Paphlagonum* provinciam suam fœdere inito subjecisse, eósque *Calæ Phrygiorum Satrapæ* subditos fuisse, *Cappadocis* etiam *Sabictam* satrapam constitutum enarret; nunquam tamen eorum in exercitu *Alexandri* meminit, nisì quis communi mercenariorum, vel aliorum nomine eos insinuatos contendat, cui assentiendum tum reor, ubi causas assignaverit, cur *Arrianus, Curtius, Macedones, & Thessalos Græcos* tantùm, aliquoties missionem ab *Alexandro* accepisse memoret?

Slavos tandem *Illyriorum* nomine intelligi non posse, patet ex paragrapho V.

IV. Donatio illa Aquilonaris Orbis non potuit ab *Alexandro Slavis* donari, cùm eæ partes jugum ipsius senserint nunquam. Europæis quidem *Scythis*, devictâ Indiâ, inferre bellum *Alexander* cogitabat, teste *Arriano*, sed intulisse non legitur, præterquam quòd terræ illæ à *Scythis* potentissimis fuerint possessæ, *Curtio* libro septimo prolixè eorum potentiam describente.

V. *Alexandria in Æpypto* designata est A. Mundi ter millesimo septingentesimo vigesimo tertio, qui fuit ante Christum CCCXXX. Et Regni *Alexandri IV.* secundùm *Salianum* tomo quinto Annalium. Atqui in hac Urbe undecimo anno Regni sui *Macedonici Alexander* non fuit, existens tunc in *India*: annum verò undecimum Imperij Græcorum non attigit, mortuus anno Imperij septimo, Regni decimo tertio, qui fuit A. M. ter millesimus septingentesimus trigesimus, ante Christum CCCXXIII. Quomodo ergo diploma illud *Slavis in Alexandria Ægypti* anno undecimo Regnorum Alexandri?

Quidquid sit de literis *Alexandri M.* an suspectæ & adulterinæ censeri debeant, & an sub nomine *Slavorum Alexandro* noti esse potuerint; dubitari tamen non potest sub *Henetorum* aliisque nominibus gentem illi non ignotam fuisse, non minùs quàm *Bojos*, quos *Alexandro M.* conciliatos asserit *Brunnerus*. *Brunner. l. 1. Annal. Bojor. n. 7.*

Frater *Martinus Ordinis Prædicatorum* in sua Compilatione historica, quam in membranis *Cœnobium Henrichoviense Cistercienstum* servat, asserit *M. Aurelium* pugnâsse contra *Slavos, Glaucos, Quados*, in Marcomannia, quod bellum contigisse sub A. Ch. C. LXXVI. *Baronius* docet. Id an *Martinus* ideo scripserit, quòd *Bastarnas, Roxolanos* (qui linguâ *Slavi*) & gentes omnes ab *Illyrici* limite usque ad *Galliam* conspirâsse contra Romanum Imp: apud *Julium Capitolinum* in Marco legerat; an verò ex aliquo Authore de-

 scrip-

ſcripſerit, cùm in præfatione, ad Opuſculum de ſummis Pontif: & Imper: ex Chronicis *Damaſi* Papæ, *Oroſij*, *Pauli Diaconi*, *Giſilberti*, *Lobini Epiſcopi*, *Richardi Cluniacenſis*, *Eſcodij*, *Viterbienſis*, *Vincentij* fateatur ſe concinâſſe, incertum eſt. Certum mihi ſub M. *Aurelio Boëmiam* à Marcomannis inhabitatam fuiſſe.

Veroſimilis Neugebaveri ſententia.

Salomon Neügebaverus à *Cadano*, in hiſtoria Polonica, deducens ex *Ruſſis Slavos*, cum *Cromero* conſequenter docet, non ex *Dalmatia*, ſed ex *Ruſſia & Sarmatia* eos populos, qui nunc *Poloni & Boëmi* dicuntur, progreſſos, vacuas, aut certè infrequentes *Vandalorum* ſedes in Sileſia occupaſſe, indéq; in *Germaniam* interiorem, & *Bohemiam* arma protuliſſe. Nam faciliùs, citiùsque hâc ſecundùm dextrum latus *Carpathi* montis ad interiorem *Germaniam* aliquomodo vacuam tunc penetrare poterant è *Ruſſia* profecti, quàm in *Slavoniam*, aut *Dalmatiam*, longiùs à ſe diſtantes, & *Romanorum* Imp. armis munitas. Exiſtimat tandem hos populos è *Ruſſia ſub Attilæ* tempora circiter A. C. CDXLII. abiviſſe.

At hoc eſt contra torrentem ſcriptorum *Boëmorum* niti. Deinde cur *Lechus* primò ex *Boëmia* in *majorem Poloniam* coloniam ſuam duxit, ſi minorem attigit? Cur ex *Dalmatia*, & *Croatia Slavus* Victoribus abundante, non potuit aliquis Ducum, æmulus avitæ gloriæ, juventutem, aut otioſam turbam à bello, ſpe melioris glebæ, in novas ſedes educere, novam coloniam condere?

Vaipovius, & *Herburtus Czechum* in Boëmia primas ſedes fixiſſe A. C. DI. *Cuthenus* & *Boregk* A. C. DCXXXIX. *Hagecius* DCXLIV. affirmant. Sit penes Auctores interea fides, donec veritas ipſa eluceſcat. Hactenus R. P. Andreas Stredonius S. J.

Atque hîc *Libro ſecundo* finem imponimus; qui licet exiguus mole, & omnium qui in his *Miſcellaneis* ſequentur, minimus, tamen ob moleſtiſſimam, dubiam, & laborioſiſſimam tractationem longè cariùs *Authori* conſtitit, quàm ſi *Hiſtoriam* à *Czecho Duce*, uſq; ad *Reges Bohemiæ* deduxiſſet.

IN-

INDEX COPIOSISSIMUS IN LIB: II. MISCELLANEORUM.

Numerus folium, a *columnam primam*, b *columnam secundam significat.*

A.

B.

C.

Cata-

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

Vinu-

Errores pauculi irrepserunt, quibus benigni Lectores ignoscent.

Folium.	*Columna.*	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
14.	b	40.	Urbis.	*Urbs.*
15.	a	3.	Slavo.	*Slavva.*
16.	a b	27. & 42.	300. Fac:	147.
26.	a	12.	ante 300.	*post* 300.
33.	a	25.	Burgundiorum.	*Burgundionum.*
40.	b	50.	quorum.	*quarum.*
58.	b	penult.	ante Fac:	*circa.*
68.	a	18.	527.	427.
77.	b		intervenisse.	*intervertisse.*
78.	b	19.	clauserim.	*hauserim.*
93.	a	40.	Sarmatiæ.	*Sarmatia.*
94.	b	in fine	oris.	*Aris.*

FACULTAS

REVERENDI PATRIS

PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU

PER PROVINCIAM

BOHEMIÆ.

CUm duos Miſcellaneorum Hiſtoricorum libros, SECUNDUM (qui de Bohemiæ Incolis tractat) & TERTIUM (qui ſingulorum Bohemiæ Districtuum deſcriptionem continet) à P. BOHUSLAO BALBINO EX SOCIETATE NOSTRA conſcriptos, tres ejuſdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi poſſe cenſuerint, poteſtate à Patre Noſtro JOANNE PAULO OLIVA PRÆPOSITO GENERALI ad id mihi datâ, Facultatem concedo, ut prædicti duo Libri typis mandentur. In quorum fidem has literas manu meâ ſubſcriptas, & Sigillo officij mei munitas dedi. Pragæ in Collegio ad S. Clementem, 21. Martij, 1680.

L. S.

WENCESLAUS SATTENWOLF
Provinciæ Bohemiæ Societatis
JESU Provincialis Præpoſitus.

364 fol

4 Kr / 24 —

Biblioteka Jagiellońska
stdr0026790